

Christophori Ludovici Hoffmann ... De sensibilitate et irritabilitate partium libellus Latine redditus.

Contributors

Hoffmann, Christoph Ludwig.
Francis A. Countway Library of Medicine

Publication/Creation

Düsseldorpii : Sumptibus Joh. Christ. Daenzer, 1794.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/x7jsghtf>


License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by the Francis A. Countway Library of Medicine, through the Medical Heritage Library. The original may be consulted at the Francis A. Countway Library of Medicine, Harvard Medical School. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



1746

ESSEX INSTITUTE.

PRESENTED BY
DANIEL A. WHITE.

LIBRARY CONDITIONS.


THE Library to be under the control of the Directors, who may withhold such books from circulation, as they may deem expedient.


Each Member shall be entitled to take from the Library, one folio, or one quarto, or two of any lesser fold, with the plates belonging to the same, upon signing a receipt for the same, and promising to make good any damage which may be sustained when in their possession, or to replace the same, if lost.

No person shall lend any book belonging to the Institute, except to a member, under a penalty of one dollar for every offence.

The Directors may permit other persons than members to use the Library. No member shall detain any book longer than four weeks, after being duly notified that the same is wanted by another member, under a penalty of twenty-five cents per week.

On or before the first Wednesday in May all books shall be returned, and a committee of the Directors appointed for that purpose shall examine the Library and make report of the condition at the Annual Meeting.





**CHRISTOPHORI LUDOVICI
HOFFMANN,**

Serenissimi Electoris Mogunt. Archiatri,
Confiliarii intimi &c.

DE

SENSIBILITATE

ET

IRRITABILITATE PARTIUM

LIBELLUS

LATINE REDDITUS.



DUSSELDORPII.

Sumptibus Joh. Christ. Daenzer

1794.

19 Σ121

Præfatio ad editionem primam.

Tractatum meum de Variolis artis medicæ peritis, non tyronibus destinavi, ideoque in parte prima concinnanda tanta usus sum brevitate, ut, si horum captui eam accommodare voluissem, non pauci essent paragraphi, qui in plures paginas extendi debuissent. Verum cum hæc brevitas variis objectionibus non immerito ansam præbuerit, suo tempore huic defectui medebor. Primo statim intuitu apparet, partem primam nihil aliud nisi priorem tantum morbi periodum, infectionem scilicet, & generationem novi miasmatis usque ad initium febris complecti. Reliquas quinque periodos parti secundæ reservaveram. In qua cum non modo febris variolosa cum

phænomenis suis; sed etiam origo erup-
tionis & suppurationis variolarum tracta-
ri debuerint: doctrinam de inflammatio-
ne & suppuratione hic desiderari non
potuisse, facile intelligitur. Quæ de hac
doctrina ad propositum meum spectare
videbantur, singula quidem suo loco in-
serueram; tamen postea consultius fore
judicavi dissertationi de sensibilitate &
irritabilitate partium præmissæ doctrinam
de inflammatione ejusque effectibus su-
perstruere, quia velut fundamento pars
altera niteretur. Ex his igitur causa, cur
libellus hic de sensibilitate & irritabilitate
partium tomo alteri de variolis præces-
serit, satis superque patet. Quæcunque
lector in hoc opusculo erronea videbun-
tur, si lubet, deleat; ambigua aut manca
emendet, & quæ vera esse deprehen-
derit, intacta relinquat, iisque fruatur.
Nihil enim nisi veritatem cupio.

Ce-

Ceterum lector hunc libellum a sectione XXXI. cœptum primumque paragraphum 559 inscriptum esse, reperiet. Sectio prima ordine sequitur sectionem ultimam tractatus de variolis. Paraphraphi vero eum in finem majoribus numeris distincti sunt, ut inter allegandum opus non sit notare, an in tractatu de variolis, aut in hoc libello locus citatus quæri debeat.

Præfatio ad editionem secundam.

Per totam vitam meam ultra septuaginta annos jam productam nunquam a me impetrare potui, ut præmia pro operibus meis medici argumenti, licet frequentur oblata, acciperem; sed constanter recusavi. Solam oblationem & conscientia ad divulandas veritates ali-

quid contulisse ortam spectavi. Jucundissimam hanc dignissimamque laboris mercedem avide semper venatus sum. Igitur cum multi apud me quererentur, libellum de sensibilitate & irrigabilitate partium Moguntii non amplius venalem prostatere, magnopere dolui. Quapropter bibliopola noster Fischerus, hortatu meo, literas ad Perenonium bibliopolam Monasterensem misit, eumque ut sibi exemplaria mitteret, rogavit. Responso vero post aliquod tempus non secuto Fischeroque nuntiante, se a procuratore Perenonii lipsiensi comperisse, editionem primam operis de sensibilitate penitus dividitam esse: consilium ejus novae editionis faciendæ improbare non potui. Operam hanc unus ex amicis meis in se suscepit, errores aliquot a me notatos correxit, indicemque rerum adjunxit. In tantum duntaxat secundæ hujus editionis auctor sum. Quod statim initio hic indicare volui.

C. L. Hoffmann.

Consp ectus argumenti.

Sectio I. De sensatione & sensibilitate partium in genere.

Sectio II. De quinque sensibus.

Sectio III. Quilibet sensus varias sensationses generare potest, quarum aliæ sunt indifferentes, aliæ jucundæ, aliæ adversæ.

Sectio IV. Ut sensatio vera oriatur, requiritur actio in partem sensibilem: Verum ne tum quidem sensatio exoritur, nisi actio vim sufficientem habeat: id autem si contingit; vel invitit oriuntur sensationses.

Sectio V. Sensibilitas partium a nervis tantum dependet, & si in partibus sensibilibus sensatio producitur, mutatione in hisce partibus facta ope nervorum ad cerebrum propagatur, atque tum mutationis in hac illave parte extortæ conscientia nascitur.

Sectio VI. Sensus universalis per totum corpus diffusus vi mechanica in partes

tes irritabiles sufficienter agente excita-
tur, & hæc impressio, quo validior
est, eo vivacior ex ea resultat sensatio.
De diversitate irritabilitatis in partibus
diversis & quomodo cognoscatur.

Sectio VII. Diversa partium sensibilitas
in sano corporis statu certis quibusdam
regulis subiecta est, quæ tamen pro
circumstantiarum morborumque diver-
sitate multis variationibus obnoxiae sunt.

Sectio VIII. De falsis sensationibus.

Sectio IX. De vi vitali fibrarum muscu-
larium, & variis motibus, qui ab illis
producuntur.

Sectio X. De fibris muscularibus, quid
sint, & quomodo dividantur.

Sectio XI. De irritatione & ejus effec-
tibus in genere.

Sectio XII. De effectibus irritationis in
partibus nuda sensibilitate sine fibris
muscularibus præditis.

Sectio XIII. De effectibus irritationis in
iis partibus sensibilibus, quæ vel in
totum, vel ex parte tantum fibris mu-
scularibus concinnatæ sunt.

Sectio XIV. Experimenta quædam, quibus probatur, fibras musculares actione sufficiente irritatas eo majorem semper motus producendi conatum adhibere, quo major est irritatio, donec tandem facultas excitandi motus non amplius intendi possit.

Sectio XV. In qua ulterius demonstratur, fibram muscularam irritatam eo maiores adhibere conatus producendi motus, quo validior irritatio, donec tandem extremum motum exerceat.

Sectio XVI. Vires vitales fibrarum muscularium a nervis originem ducunt.

Sectio XVII. Doctrina de spiritibus animalibus hypothesis est omni fundamento destituta.

Sectio XVIII. Facultas partium irritatione motum producendi Mobilitas, Irritabilitas & Agilitas vocari potest.

Sectio XIX. Mobilitas, irritabilitas seu agilitas fibrarum muscularium in statu fano certo ordini adstricta est; insig-
nes vero mutationes subire, augeri &
diminui potest.

Sec-

Sectio XX. In qua disquiritur, quinam nexus & proportio intersit sensibilitatem inter & mobilitatem partium.

Sectio XXI. De fibris venarum & arteriarum.

Sectio XXII. Fibræ venarum & arteriarum longitudinales vi gaudent elastica & vitali.

Sectio XXIII. Pulsatio arteriarum motus est ipsis proprius, a vi earum vitali dependet & irritatione augetur.

Sectio XXIV. De arteriarum venarumque sese coarctandi facultate, quæ fibrarum orbicularium accurtatione & contracione pender.

Sectio XXV. Arteriæ ac venæ quo sunt minores, eo facilius ad coarctandum sese & occludendum irritamento adhibito compelluntur.

Sectio XXVI. Venæ minimæ propter vires vitales, quibus instructæ sunt, facilius sese contrahunt, atque coactant, quam arteriæ.

Sectio XXVII. Ingens venarum minimarum

marum agilitas aut irritabilitas ulterius demonstratur.

Sectio XXVIII. Venæ minimæ corde sunt mobiliores.

Sectio XXIX. Coarctatio arteriarum irritatione orta motui earum pulsanti resistit; & ad coarctationem eis inducendam validior requiritur irritatio, quam illa est, qua arteriarum & cordis pulsatio summopere augetur.

Sectio XXX. De vasis lymphaticis eorumque sese coarctandi facultate.

Sectio XXXI. De vasorum materiam perspirationis occultæ ducentium, sphincterumque eorum irritabilitate.

Sectio XXXII. De mobilitate aut irritabilitate canalibus excernentibus variorum organorum excernentium propria.

Sectio XXXII. De irritabilitate & mobilitate tubolorum quibus aër per pulmones propagatur.

Sectio XXXV. De ordine quo agilitas, mobilitas aut irritabilitas diversarum corporis humani partium viribus vitalibus

præ-

prædictarum in statu sano sibi invicem
subiequuntur.

Sectio XXXV. De causis phænomeno-
rum in diversis animi commotionibus
scie exserentium.



Sectio I.

De sensatione & sensibilitate
partium in generi.

§. 1.

Conscientia mutationis in aliqua corporis parte factæ vocatur sensatio.

§. 2.

Alliso in lapidem pedis pollice atque inde statim orto dolore, scio causam hujus doloris esse læsum pollicem. Hæc conscientia dum excitatur, oboritur sensatio.

§. 3.

Ergo sine conscientia nulla sensatio
(§. 1. & 2.).

§. 4.

Hanc consequentiam sequens exemplum illustrabit. Studiosus quidam stricto gladio

dio lictorem (Hæscher) adortus, ligno
vasto tam graviter ab eo in Brachio per-
cussus fuit, ut gladius e manu excideret.
Mox altero iectu in caput subsecuto humili-
delapsus ac pro mortuo habitus domum
ferebatur. Hic sine conscientia jacebat;
nullus dolor a læsione brachii; visus au-
ditus, gustus, olfactus prorsus nulli; cal-
varia depressa; ea demum post aliquot
horas opera chirurgi rursus allevata, sta-
tim conscientia & vigor sensuum resti-
tuebantur. Jam vero conqueri cœpit de
doloribus, quos antea, dum sine con-
scientia jacebat, omnino non senferat.
Visus, auditus, odoratus, gustus denuo
vigebant. Hic igitur manifesto apparuit,
sensationem absque conscientia locum ha-
bere non posse. Si enim studiosus ille
alterum iectum in caput non accepisset,
facultatem videndi, odorandi, gustandi,
audiendi non amisisset, brachiumque per-
cussum statim ab initio sine remissione
doluisse.

§. 5.

At in quonam corporis loco oritur conscientia, quæ omnem sensationem comitatur? (§. 3.) E narrato casu verisimile est, id in capite & quidem in cerebro fieri. Nam Brachio tantum læso conscientia mansit incolumis, capite vero percusso confestim evanuit, deinde allevata calvaria, cerebroque a præternaturali oppressione liberato statim restituta est. Porro cum notum sit omnibus, nullam fere læsionem, nisi cerebro accidat, conscientiam delere; verisimile est, inquam conscientiam in cerebro originem habere.

§. 6.

Demonstrationem, quæ fretus conscientiam in cerebro originem habere, (§. 5.) contendi, infra proponam. Interea verisimilitas priori paragrapho indicata locum demonstrationis obtineat.

§. 7.

§. 7.

Ergo ut existat sensatio, necesse est ut in aliqua corporis parte fiat mutatio (§. 1.), quæ conscientiam in cerebro producere possit (§. 5. & 6.).

§. 8.

E. G. Si pollicem pedis lapidi impingam, & inde oriatur sensatio; necesse est, ut ex hac impactione aliqua gignatur mutatio, quæ in cerebro conscientiam producat, me allidisse pollicem. (§. 3. & 6.).

§. 9.

Non omnibus partibus data est facultas, pariendi mutationem, quæ origetenus sensationem excitare potest (§. 7.); cum e contra quibusdam ea facultas propria sit.

§. IO.

Omnes partes facultate præditæ, mutationem, quæ origetenus sensationem excitare potest (§. 9.,) producendi, dicuntur
sen-

sensibiles; reliquæ vero hac facultate destitutæ, insensibiles vocantur.

§. II.

E. G. Dolore a quassatione digiti orto, ea accidit mutatio, quæ origetenus hanc sensationem excitare potest. Quamdiu ei facultas inest, hanc mutationem producendi, dicitur sensibilis; si vero hac facultate privatus est, quod in gangræna contingit, insensibilis vocatur (§. 10.). Omnes autem partes, quæ æque ac gangrenosus digitus, natura destitutæ sunt facultate, mutationem producendi excitantæ sensationi idoneam, natura insensibiles sunt.

§. 12.

Ad partes natura insensibiles (§. 10.) pertinent non tantum fluidæ omnes: sanguis, bilis, saliva &c, verum etiam multæ solidarum: pili, epidermis, unguis &c. Partes autem sensibiles (§. 10.) sunt cutis, oculi, lingua, aures, nasus, musculi, ventriculus, intestina &c.

§. I3.

Jam vero evidens & perspicuum est, magnum esse discrimen inter sensationem (§. I.) & sensibilitatem partium (I0.). Ad sensibilitatem partis sola facultas mutationem in corpore vivo procreandi requiritur, & quamdiu hæc facultas adest, tamdiu manet sensibile (§. I0.). Contra vero ad sensationem excitandam non modo necesse est, ut pars sensibilis mutationem illam aut motum, quo origetenus sensatio excitari potest, producat; verum etiam ut conscientia in cerebro oriatur, accidisse aliquam in ea corporis parte motum & mutationem (§. 3. & 6.)

§. I4.

E. G. Si digitum meum in inferiore parte funiculo tam arcte constringo, ut ortæ in eo mutationis sensus ad cerebrum deferri & conscientia ibi produci nequeat (§. 5. & 7.): nihil sentio, licet digitum secem aut pungam (§. I3.); nihil, inquam, sentio, etiam si digitus motum eum ex-
er-

erceat; qui origetenus sensationem excitare potest, & sine dubio excitasset, nisi digitum firmiter ligasset. Nam simul ac vinculum resolvero, digitoque facultatem reddidero, natam in eo mutationem ad cerebrum usque propagandi, subito dolorem sentio, quem vulnus punctione & sectione factum reliquit.

§. 15.

Addamus aliud exemplum. Si cor, intestina & plures aliæ corporis partes spiranti adhuc animali eximantur, videbis motus illos, qui vivo corpore iis inerant, non modo per aliquod tempus continuari; sed etiam augeri, si partes e corpore exemptæ instrumentis pungentibus aut vellificantibus lædantur; motusque eos, si cessaverint, eodem modo adhuc per aliquod tempus resuscitari posse, reperies. Infra demonstrabitur, has partes, quamdiu sponte, aut instrumentis pungentibus vel vellificantibus stimulati se commovent, adhuc sensibles esse, i. e. mutationem illam pro-

ducere posse, qua origetenus in corpore sano sensatio excitari potest (§. 10). Jam vero quæritur, num ejusmodi partes sensibiles e corpore exemptæ, sentire adhuc possint? Nequaquam. Cum enim a corpore separatae sunt, mutatio in illis producta ad cerebrum usque non amplius deferri, nec conscientia ibi excitari potest (§. 7.). Atqui sine conscientia nulla sensatio (§. 3.). Ergo non magis sentire, aut sensationem producere possunt ac læsum studiosi brachium (§. 4.).

§. 16.

Quod (§. 13. seq.) de differentia sensationis & sensibilitatis partium diximus, maximæ utilitatis est, sedulaque attentione dignum. Perspicuitatis causa unum aut alterum exemplum hic subjungam.

§. 17.

Ante aliquot annos amicum qui me accerserat, omni destitutum conscientia moribundum inveni. Convulsiones vehementes

lementissimæ in hoc mortis articulo misserum torquebant. Commiseratione pleni exclamabant omnes, qui aderant: Quam sævis cruciatibus vir bonus obnoxius est, antequam anima corpus relinquere possit! Ego equidem acerbe jam dolebam mortem amici; sed convulsiones non erant id, quod eum commiseratione dignum reddebat. Verum quia persuasum mihi habebam, eum non magis quidquam sentire ac studiosus ille, de quo (§. 4.) locutus sum, propter oppressum a fracta calvaria cerebrum dolorem in brachio percusso sentire poterat. Et hoc quidem solatium cognitionibus meis debui, quo parentes morientibus liberis, & liberi in agone mortis amantissimorum parentum, qui multa & horrenda pati videntur, sæpiissime frui poterunt.


§. 18.

Sed quid de ostrea dicamus? Num hæc sentire possit, nec ne? Dubium non

est, quin sensibilitate praedita sit (§. 13.); sed an sentire possit, vehementer dubito. Quodsi enim conscientia caret, non magis sentire potest, ac cor e corpore exemptum (§. 15.).

§. 19.

Placuit quibusdam naturae curiosis, ipsis adeo plantis facultatem sentiendi tribuere. At cum de eo, quod sentiunt, conscientiam habere nequeant, opinionem hanc ut manifeste erroneam confidenter rejicio (§. 3. & 4.).



Sectio II.

De quinque Sensibus.

§. 20.

Si naturam contempleremur, sensationes, quibus homo præditus est, multum inter se differre reperiemus. Aliud est *dolorem sentire*, aliud *videre*, aliud *audire*, aliud *olfacere*, aliud denique *gustare*.

§. 21.

Jam ab antiquissimis temporibus variæ sentiendi rationes in quinque species divisæ sunt: in Visum, Auditum, Odoratum, Gustum, Tactum, quæ nomine Quinque Sensuum insignitæ sunt.

§. 22.

Cum videndi sensus non nisi ope oculorum, sensus audiendi ope aurium, sensus olfaciendi ope narium, sensus gustandi ope linguæ vires suas exercere possit;

possint: oculus vocatur organum visus,
auris auditus, nares olfactus, gustatus de-
nique lingua.

§. 23.

Eruditis quibusdam viris satis celebri-
bus distinctio hæc sensuum quinquepar-
tita (§. 21.) displicuit, & nonnisi unum
sensum, tactum scilicet, admittere volue-
runt. Sicut enim, inquiunt, stimulus
venereus, fames, sitis, pruritus, &c spe-
cies tantum tactus sunt, ita etiam visus,
olfactus, gustus & auditus nonnisi variæ
modificationes tactus dici possunt. Quem-
admodum sine tactu nec visus, nec au-
ditus, nec olfactus, nec gustus, locum
habere queunt, ita etiam ad dolorem,
pruritum, famem &c. tactus necessario
requiritur.

§. 24.

Hæc sententia (§. 23.) etsi multis for-
tasse admodum plausibilis videri possit:
eam tamen ob rationes urgentes reji-
ciendam esse, & non modo tactum, sed
&

& reliquos quatuor pro separatis & inter se diversis sensibus habendos esse arbitrор. Constat enim, oculum, aurem, linguam, nasum æque ac ceteræ partes sensibiles dolore affici, ac proinde eodem modo sensum producere posse. Quod non tantum in variis harum partium morbis apparet; sed etiam quando punguntur, vellicantur, verberantur aut alia ratione vexantur. Præterea vero oculus audire, nasus olfacere, lingua gustare potest, quæ facultates singulis præter sensum universalem propriæ sunt. Merito igitur quatuor istæ qualitates inter se discretæ, separatim consideratae sunt, & sensus quem cum reliquis communem habent, ab eo qui ad singulas species pertinet, distinctus. Nam aliud est videre oculis, audire auribus, naribus olfacere, gustare lingua; & longe aliud est, si in hisce partibus dolor aut sensus exoritur. Quamobrem sine dubio factum est, ut distinctio sensuum quinquepartita generaliter recepta sit.

§. 25.

Dum alii quinque sensus admittebant (§. 21.), alii autem solo tactus nomine diversas has species complectebantur (§. 23.), fuere, qui quinque sensibus non contenti, se plures adhuc invenisse putabant. Le Carnus quinque sensibus tres addidit: pruriginem venereum, famem & sitim. Ad opinionem hanc defendendam sequenti argumento utitur. Ut sensus, inquit, existat, requiritur imo sensatio ab omni alia plane diversa, 2do, ut haec sensatio organum sive partem, qua producitur, particularem habeat. Atqui si stimulum venereum, famem & sitim attentius consideremus, non modo sensationes istas a se invicem & ab aliis omnino diversas esse, sed etiam nonnisi a diversis partibus sive organis produci posse, reperiemus. Ergo particulares istae sensationes, quas stimulum venereum, famen & sitim appellamus, cum diversis se modis prodant, partibusque sive organis diversis produ-

can-

cantur, reliquis quinque sensibus merito annumerandæ sunt.

§. 26.

Jam vero quid statuendum esse de hac opinione dicamus? Ego equidem, de ea quid existimem, paucis aperiam. Dum rem paulo accuratius considero, admodum probabile mihi videtur, veteres quinque sensus statuentes non duas, uti Le Carnus, (§. 25.) sed tres exegisse qualitates, & meo quidem judicio ad sensum requirebant


imo. Ut sensatio ab omni reliqua sensatione plane diversa producatur.

2do. A diversa parte seu organo.

3to. Denique ut res externa gignendæ sensationi apta in una tantum parte seu organo effectum producat, reliquis vero partibus sentiendi facultate præditis applicata plane inefficax sit. Ultimam hanc qualitatem, quoties particularem sensum definire volebant, necessario desiderasse videntur. Nam revera mirandum

dum est, rem externam in una tantum parte sensationem excitare; in omnibus aliis partibus vero ne minimam quidem mutationem procreare posse. Lumen enim, quod ad videndum requiritur, in oculos cadens, sensationem producit; aures vero, nares, linguam afficere non potest. Impulsio aëris sonori in auribus tantum vim suam ostendit; oculi vero, nares, lingua & reliquæ partes sensibiles nullo modo ab eo commoventur. Aër exhalationibus moschi aliisque particulis odoriferis repletus naribusque attractus olfactum excitat; sine naribus vero & facultate olfactoria existentiam illarum ne suspicari quidem possemus. Res sapidæ particularem illam saporis sensationem excitare nequeunt, nisi linguam contingant. Stimuli autem venerei longe alia est conditio. Frictio enim in actu venereo occurrens in aliis quidem partibus sensationem producere posset, sed longe diversam ab illa. Quod si fames & sitis in numerum sensuum particularium recipiendæ

piendæ sunt, nihil obstat, quominus
anxietatem febrilem, desiderium mingendi
aut exonerandi alvum iis quoque adnume-
remus. Sed quid tandem inde sequeretur?
Quapropter ego equidem quinquepartita
illa veterum divisione acquiescendum
esse existimo. Si enim de novi sensus
existentia nunquam certi esse possumus,
nisi ubi apparuerit, rem externam, dum
in aliquam partem agit, sensationem ab
omnibus aliis diversam proferre; reliquis
vero partibus adhibitam omnino ineffi-
cacem esse; difficile erit numerum sen-
suum recepto a veteribus majorem de-
monstrare.



Sectio III.

Qilibet sensus varias sensatio-
nes generare potest, quarum
aliæ sunt indifferentes, aliæ
jucundæ, aliæ adversæ.

§. 27.

Etiam si quinque tantum sensibus in-
structi sumus (§. 26.) ; tamen innumeris
sensationibus affici possumus, quia multi-
fariæ sensationes a singulis sensibus pro-
duci queunt. Quod exemplis singulos
sensus spectantibus ostendere conabor.

§. 28.

Sensationum, quas visus producere
potest, infinita est varietas. Sicut enim
objectorum colorumque immensa est mul-
titudo ; ita & sensationum , quæ inde
oriuntur. Quis hic finem invenire pos-
sit ?

§. 29.

§. 29.

Eodem modo variaut sensationes ab auditu derivatæ. Quot sonos vel in solo cymbalo aures nostræ distinguere possunt ? Quantus est instrumentorum musicorum numerus ! Singula clangorem sibi proprium habet, variosque sonos. Ope auditus quilibet fere hominum voce sua agnosci potest, & si vocem paulisper immutat, aut canit, stupendam variorum sonorum copiam edere valet. Si his omnibus latratum canis, ruditum felis &c avium cantus, addamus, auditum in producendis variis sensationibus a visu non superari, patebit.

§. 30.

Si immensum herbarum, arborum, medicaminum aliarumque rerum, quæ olfactu discerni possunt, numerum attendamus; fateri necesse est, sensationes quoque, quas olfactus procreare potest, fere in infinitum extendi.

§. 31.

§. 31.

Porro si meminerimus, quam multiplex sit ciborum, vini & ceterorum potuum, medicaminum, aliarumque rerum sapor; etiam gustandi sensum immensam sensationum varietatem excitare posse videbimus.

§. 32.

Tactus quoque non minus fœcundus est in gignendis multifariis sensationibus. Ope tactus exploramus; an corpus magnum sit vel exiguum; æquale aut inæquale; lœvum aut scabrum, durum aut molle, fluidum aut solidum, tepidum, calidum aut frigidum. Fames, sitis, desiderium mingendi aut exonerandi alvum, scalptio, titillatio, vellicatio, verberatio &c particulares & a reliquis distinctas sensationes pariunt.

§. 33.

Mirum est in tanta sensationum varietate (§. 27. seq.) maximam partem ho-

hominibus indifferentem esse ; reliquas vero partim jucundas, partim molestas deprehendi.

§. 34.

Indifferentium sensationum, quæ scilicet neque lætitiam neque molestiam afferunt, non opus est exempla proferre, cum ea quotidie occurrant. Jucundarum vero & injucundarum aliqua ad singulos sensus pertinentia ob oculos ponam.

§. 35.

Adspectus puellæ formosæ, pompæ solennis aut ludorum scencorum summam nobis lætitiam præbet ; contra vero, quid molestius est, quam hominem sordibus fœdatum & pannis laceris involutum, nasum cancro arrosum, furiosum catenæ alligatum & exrementis suis toto corpore pictum intueri ?

§. 36.

Concentus musici secundum harmoniæ regulas facti auditu gratissimi sunt, mul-

tosque homines in oblivionem sui abripiunt. At nihil adeo odiosum ac molestum est, quam si plures simul sonis discrepantibus ludunt. Vox probatæ cantatrix aures nostras mira suavitate demulcet; at intolerabilis est stridor, quem cortex suberis, dum secatur, edit. Hæc omnia consideranti in mentem mihi venit quæstio singularis: Num canis inflato cornu aut alio ejusmodi instrumento musico ululans sonum ejus imitari conatur, nec ne? An sono isto delectatur aut contra?

§. 37.

Nunc quoque de olfactu loquamur. Quam gratus est odor roscarum aut cinnamomi, tam molestæ sunt excrementorum aut cadaverum exhalationes.

§. 38.

Ad gustum quod attinet; quæramus tantum: quis ille est, qui ad lautum convivium invitatus non veniat? Quis contra a mensa variis medicaminum speciebus instructa non abhorrebit?

§. 39.

§. 39.

Ut tandem etiam de tactu exemplum adferamus, meminisse sufficiat, quam jucunda sit sensatio, quæ coitum comitatur; quam molesta vero sit titillatio pluma in naribus facta: aut quam ægre feramus dorsum verberibus obrutum.

§. 40.

Hic autem notandum adhuc est, unum idemque objectum in diversis hominibus contrarios sæpe effectus edere, & in his gratam, in illis vero molestam sensationem excitare. Quod de omnibus quinque sensibus verum esse, exempla sequentia docebunt.

§. 41.

Adspectus ciborum bene præparatorum utplurimum gratus est. Apud Comitem quendam in cœna apponebatur porcellus costus, coloris adustioris, malum citreum ore gerens. Hoc ferculum reliqui convive avide adspiciebant, excepto quo-

dam clericō, qui e regione assidens effectum plane contrarium sensit. Pudore retentus initio nihil dicit, nec surgere audet, donec tandem animo linquitur. Effertur e cænaculo & paulo post in vitam revocatus causam deliquii narrat. Abscisso porcelli capite ad cœnam revertitur. Nunc in frusta concisum sine horrore contemplari potuit; imo portionem suam, sicut reliqui, avide comedit.

§. 42.

Idem quoque de auditu sentiendum. Alii enim dulcisonis musicæ concentibus extra se rapiuntur; alii tristantur; sunt etiam alii in quibus neque hanc neque illam sensationem producunt. Alii coaxatione ranarum oblectantur; aliis vero hic strepitus indifferens, neque gratus neque molestus est. Cuidam vero homini usque adeo odiosus erat, ut domum suam propter vicinitatem stagni, a ranis, quarum vocem tantopere aversabatur, habitati, vendere cogeretur. Hic quo tempore domum adhuc

adhuc incolebat, saepius noctu magnis cum impensis in margine lacus candelas accendi iussit eo consilio, ut ranæ a co-axando deterrerentur.

§. 43.

Sic quoque cum odoratu constitutum est. Quotidie enim videre licet, in hominibus sensibiliori nervorum systemate praeditis, hypochondria aut morbo hysterico laborantibus, eundem odorem, ab aliis animi deliquia & spasmos propellere atque arcere; in aliis vero eos producere atque augere.

§. 44.

De gustu exempla proferre nolo. Nam notissimum est, quod eadem esculenta, quæ aliis delicata videntur, aliis nauseam movere possint. De gustibus non est disputandum. Vidi matronam nobilem quæ acetariam oleo rancido perfusam ceteris dapibus præferebat. Sola gaudeat exquisita hac dape!

§. 45.

Tactus eadem ratio. Sæpius de intolerando frigore unum conqueri videas, ubi alter præ calore pene suffocatur. Titillationi præcipue proprium est, iam oppositas inter se sensationes excitare. Oculus titillationem ferre nequit; plantæ pedis vero ei excitandæ maxime idoneæ videntur. In quibusdam hominibus nullum prorsus effectum producit, qui propere de singulari hac sensatione ne ideam quidem habere queunt. Inter eos vero qui titillationi obnoxii sunt, alii ea delectantur, alii vero eam summopere averfantur. Vidi pueros, & puellas, qui sæpius impense rogabant: titilla me paullisper! alii econtra extenso tantum velut ad titillandum digito ex uno angulo conclavis in alium confugere cogebantur.

§. 46.


Notatu dignum est, quod titillatio illis quoque, qui eam maxime perhorrescunt, risum violentissimum moveat; cum reliquæ

liquæ sensationes molestæ risum arcere & passim gemitus atque ulutatus excitare soleant. Quomodo quæso id fieri potest? Cur plantæ pedis percussæ non æque, ac titillatæ risum movent? Quis rationem hujus phænomeni reddere potest? Attrauen res ipsa adeo nota est, ut in proverbium abierit: *Risit ac si titillatus fuisset.* Romæ juvenis quidam nobilis, qui titillationem perferre non poterat, aliquando a sodalibus suis titillatus & in risum vehementissimum prorum-pens, e tertia contignatione per fenestram in plateam desiliit, collumque fregit. Quis credat, sensatione adeo molesta, ut aliquis ad eam effugiendam vel e fenestra desiliat, risum excitari posse; nisi id experientia testaretur?

§. 47.

Etiamsi autem dubium non sit, quin sæpe eadem sensatio uni grata, alteri molesta esse possit, & vice versa (§. 40. seq.); tamen nonnullæ ita comparatae sunt,

funt, ut universis hominibus necessario aut gratæ aut molestæ esse debeant. Ad hunc usque diem neminem adhuc vidi, cui sensatio illa particularis, quam coitus excitat, molesta fuerit; neque quenquam inveni, qui se fame aut siti delectatum fuisse dixerit.



Sectio IV.

Ut Sensatio vera oriatur, requiritur actio in partem sensibilem. Verum ne tum quidem Sensatio exoritur, nisi actio vim sufficiendem habeat: Si hæc adest, vel invitis oriuntur Sensationes.

§. 48.

Novimus jam, quid sit Sensatio (§. I.); quid sit sensibilitas partium (10. & 11.); quomodo a se invicem distinguantur (§. 13. & seq.); quid ad sensum requiratur, & cur a divisione quinquepartita sensuum a veteribus facta non sit recedendum (§. 21. & seq.); quod singuli sensus stupendam variarum sensationum copiam producere valeant (§. 27. & seq.); quod sensationum aliæ sint jucundæ, aliæ molestæ, aliæ indifferentes (§. 33. & seq.); quod eadem sensatio aliis

aliis jucunda, aliis vero molesta esse possit (§. 40 & seq.).; quod denique nonnullæ sensationes in universis hominibus constanter eundem effectum, sive lætitiam, sive dolorem pariant (§ 47.). Nunc autem quæritur, quid fieri debeat, si in parte sensibili mutationem illam, quæ origetenus sensationem producere potest, excitare velimus (§. 7. & seq.); i. e. Quomodo excitatur sensatio?

§. 49.

Ut ejusmodi mutatio in parte sensibili oriatur, (§. 48.) experientia teste actio in eam partem requiritur. Si enim in nullam partem sensibilem agitur; nihil omnino sentimus (§. 9.).

§. 50.

E. G. Si altum undique silentium est, nihil audio; si tum cœlos clando, nihil cerno; si nullæ particulæ odoratæ in narres meas feruntur, nihil olfacio; si nulla res sapida linguam meam contingit, nihil gusto, & si in reliquas partes sensibili-

tate

tate præditas nihil agit, etiam tactu nihil percipere possum (§. 49.).

§. 51.

Verum ad excitandam in corpore sano sensationem quælibet actio in partem sensibilem non sufficit (§. 49); sed necesse est, ut vi sufficiente partem afficiat. Si enim justo levior est, nulla prorsus oritur sensatio. Non supervacaneum erit, hoc etiam exemplis illustrare, & primum quidem locum tactus obtinebit.

§. 52.

Cutim hominis sani magna sensibilitate gaudere, nemo est, qui ignorat. Ictum arenulæ in ea non sentimus; si vero eadem celeritate lapis versus eam movetur, subito dolor existit. Quare actio arenulæ in cute non percipitur, lapis vero dolorem gignit? Nonne causa diversi hujus effectus in eo consistit, quod actio arenulæ infirmior est, quam ut sensationem procreare valeat? Nemo hoc negare auit. Igitur ad excitandam sensationem requi-

requiritur actio sufficiens in partem sensibilem. Vis enim justo levior sensationem non producit (§. 51.).

§. 53.

Homo in conclavi obscuro per aliquod tempus commoratus satis distincte cernit: verum ille, qui e clara luce illud subito ingreditur initio tam parum videt, ut manu duci debeat, ne mensis aut sellis impingat, quod ipse haud raro in cubiculis ægrotorum, ubi valvæ fenestrales occlusæ lucis aditum arcebant, expertus sum. Cur autem e clara luce ingrediens nihil cernit, videntibus ceteris? Quia pupillæ ejus adhuc nimium contractæ sunt; luminis radii intrare quidem possunt, sed non ea copia, qua per dilatas reliquorum pupillas penetrant, pauciores nempe, quam ad sensationem visus excitandam necessarii sunt. Quod si vero talis homo aliquamdiu in conclavi obscuro versatus fuerit; si pupillæ ejus paulatim dilatari cœperint, & jam

lucis

lucis radii sat magno numero in oculis ejus collecti fuerint; æque bene ac reliqui videre poterit. Patet igitur visum quoque tum demum excitari, quando sufficiens copia radiorum lucis in oculos agit (§. 51.).

§. 54.

Qui auditu acutiore gaudet, jam elonginquo campanarum sonum animadvertis, cum aliis hebetiore instructus nihil audit. Unde hoc? Quia apud illum minor, apud istum vero major aëris sonori quantitas ad producendam soni sensationem requiritur. Sed si ille, qui acutiore auditu prædictus est, longius a campana removeatur, nihil amplius audire potest, licet aër sonorus adhuc latius propagetur & aures ejus penetret. Manifestum igitur est etiam ad auditum necessariam esse satis validam aëris sonori actionem (§. 51.).

§. 25.

Eodem modo cum gustu comparatum est.

est. Infundantur modo vini optimi aliquot guttulæ in ingentem aquæ copiam, & nemo amplius vini saporem percipere poterit, etiamsi vinum seorsim sumtum quam sapidissimum fuerit (§. 51.).

§. 56.

De olfactu silebo, quia de hoc sensu
Parte I. de Variolis latius egi.

§. 57.

Quemadmodum vero certum est, sensationem nonnisi a satis valida in partem sensibilem actione (§. 51. seq.). produci; ita & dubium non est, quin continuo, etiam præter voluntatem nostram, oriri debeat, quoties vis sufficiens in partem agit. Id quoque exemplis singulis sensibus adæquatis illustrabitur.

§. 58.

Si quis aliquam corporis nostri partem tangit aut comprehendit, id statim sentimus nec amplius in nostra potestate est, hanc sensationem ignorare. Si interdiu

terdiu oculis apertis objectis quibusdam ex adverso collocati sumus, non possumus impedire, quominus ea cernamus. Si aër tremulus aures ferit, ac vi sufficiente in eas agit, E. G. si campana pulsatur, fieri non potest, ut sonus ad aures non perveniat, sensumque auditus exciter. Si vapores odorati quantitate sufficiente naribus attrahuntur: odoris perceptio oritur. Denique si particulæ sapidæ, quanta par est copia, papillas linguae nervosas adficiunt, etiam præter voluntatem, rei, quæ in linguam agit, saporem gustamus (§. 57.).

§. 59.

Experientia docet, alium visu acriore, alium acutiore auditu, subtiliore odoratu alium, alium accuratiore gustu, alium denique tactu meliore instructum esse; hinc sequitur, quod actio in partes sensibles, ut sensationem efficere valeat, in universis hominibus vim quidem sufficientem (§. 51. & seq.), pro diverso autem sensuum quo gaudent, acumine, diversam habere debeant.

§. 60.

§. 60.

Notatu dignum est, sensus usu & exercitatione mirum in modum augeri. Qui microscopiis uti consuevit, horum ope plura objecta cernere potest, quam qui huic visus adminiculo parum adsuetus est, licet a natura visu æque acuto donatus sit. Musicæ peritus insignem sonorum varietatem distinguit, quam hujus artis ignarus, eadem licet auditus subtilitate præditus, discernere nequit. Caupo diversas vini species sæpe stupendum in modum gustatu dignoscit, etiam si præstantiorem præ ceteris gustandi facultatem non habeat. Homines cœcos tactum suum exercitatione continua aliquando adeo expolivisse constat, ut omnibus admirationem sui injecerint.

§. 61.

Porro notari meretur, res uni aut alteri homini admodum molestas, non facilius quidem ab his, quam ab aliis cerni aut audiri, tamen multo facilius odoratu

aut,

aut gustu distingui. Quod etiam exemplis demonstrabo.

§. 62.

Clericus, de quo supra (§. 41.) narravi, porcellum profecto e majore distantia videre, & ab aliis rebus distinguere non potuisset (§. 61.): e contrario omnes, visu acriore prædicti, citius illum animadvertisserent & ab aliis rebus distinxissent.

§. 63.

Non aliter se res habet cum auditu. Quamvis enim cuidam homini certus sonus valde molestus sit; nihilominus ab alio, cui auditus acrior est, ex eadem distantia auscultante facilius percipi potest (§. 61.).

§. 64.

Gustus vero omnino diversa est ratio. Vir quidam allium perferre non poterat, & saporem ejus in carne agoina, in veru, quod ante aliquot dies coquendis alaudis inservierat, & propterea allio per-

frictum fuerat, assata, gustare adhuc potuit (§. 61.).

§. 65.

Quod de gustu dixi, idem quoque de odoratu valet. Vir quidam illustris odorem pomorum maxime aversabatur. Cum aliquando tempore matutino plures militum duces eum salutatum convenissent, vix momentum temporis cum illis collatus, interrogavit, num quis eorum poma in funda gestaret. E nobis quidem nemo, inquiunt. At ille, non fallor, ait, quis vestrum poma in funda habet. Singuli vestes suas perquirunt, & ecce! tribunus quidam pomum sub sudario occultatum invenit (§. 61.).

§. 66.


Alius feles tantopere oderat, ut pavorem & anxietatem sentiret, quoties ejusmodi animal secum una in eodem conclavi erat, imo si felis in conclavi latebat, ex hoc horrore suo & anxietate presentiam ejus statim cognovit. Quomodo id fieri

po-

potuit? Canes feras felesque persequuntur, easque licet absconditas, odoratu indagare solent. Cujus rei causa sine dubio in exhalationibus horum animalium consistit. Cum igitur exhalatio felis huic viro maxime molesta esset; sensationem, quæ præsentiam felis indicabat, in hoc quidem, non vero in aliis excitare poterat (§. 61.).

§. 67.

Obliviscendum non est, res uni aut alteri homini summopere molestas in his quidem quoad gustum & odoratum; non vero, quoad visum & auditum, facilius sensationem excitare posse (§. 61. seq.): non obliviousandum est, inquam, ut inutiles erroneasque objectiones præcaveamus.



Sectio V.

Sensibilitas partium a nervis tan-tum dependet, & si in partibus sensibilitate præditis sensatio producitur, mutatio in hisce partibus facta mediantibus ner-vis ad cerebrum usque propaga-tur, atque tum conscientia na-scitur exortæ in ea parte muta-tionis.

§. 68.

Quum jam satis superque demonstra-tum sit, qualemcumque sensationem a mutatione in parte sensibili facta oriri, atque hanc mutationem in sensorio com-muni conscientiam procreare (§. 7. seq.): quæritur

i.) Quænam est ratio, quod aliæ cor-poris humani partes facultate mutatio-nem, qua origetenus sensatio generatur,

pro-

producendi instructæ sint; aliæ vero natura hac facultate careant; id est, cur aliæ partes irritabiles sunt; aliæ vero non (§. 9. & 10.)?

2.) Quænam sunt partes, quarum opera mutatio conscientiam paritura (§. 6. seq.) a partibus irritabilibus, in quas actio fit (§. 49. seq.), ad cerebrum propagatur?

3.) Quo pacto denique mutatio hæc ad cerebrum delata (§. 7.) conscientiam excitat?

Ad quæstiones has singulatim responderem studebo.

§. 69.

Si nervus nudatus contrectatur, vellitatur, pungitur, trahitur aut alio quocunque modo afficitur, subito existit sensatio & quidem tanto vivacior, quanto vis in eum agens validior est.

§. 70.

Hinc extra omnem dubitationis aleam

positum est, solis nervis inesse facultatem producendi mutationes illas, quibus origenitus sensationes excitantur, omnesque qualitates ad irritabilitatem necessarias (§. 10. & seq.). in eis deprehendi.

§. 71.

Quando in partem, quam nervus permeat, aut in qua rami nervorum expansi sunt, vi sufficiente agitur: sensatio non minus prompte excitatur, ac si in nudum nervum ageretur; haec autem sensatio tanto vividior est, quanto vis agens est violentior,

§. 72.

Sensatione hoc modo orta, queritur, num ideo fiat, quod in expansos per eam partem nervorum ramos agitur (§. 71.); aut an sensatio a partibus, quas nervi penetrant, excitetur? Sensatio non nisi a nervis per partem dispersis produci potest. Omnes enim partes nervis destitutae sentire nequeunt, earumque laesiones nullam plane sensationem

gig-

gignunt; partes vero nervis instructæ sensibilitate gaudent.

§. 73.

Cum jam satis clare ostensum sit, irritabilitatem, id est, facultatem partium producendi mutationes illas, quibus origenitus sensationes excitantur, in nervis repositam esse (§. 72.); ad alteram quæstionem, scilicet, quibus partibus mutatio, conscientiam producens, a parte irritabili affecta ad cerebrum propagetur (§. 68.), respondere conabor.

§. 74.

Si nervus ad partem quandam proficiscens comprimitur aut refecatur, sive id prope eam partem, sive in medio, sive in ipsa origine juxta cerebrum fiat, pars illa confessim sensationem producendi facultatem amittit, & nunc, quantacunque demum irritabilitate alias prædicta fuerit, vellicari, pungi, secari, aduri, distendi, verbo: omnibus modis lædi potest, quia vel minima inde sensatio oriatur.

§. 75.

§. 75.

Igitur non modo verum est, omnem irritabilitatem partium a suis nervis pendere (§ 72); verum etiam motus omnes aut mutationes in parte irritabili accidentes, & origenem sensationibus procreandis apti, nervorum ope ad cerebrum deferuntur (§. 74.) ibique conscientiam generant.

§. 76.

E. G. Si quis mihi pedem calcat, illico mutatio quædam in nervis per partem pedis calcatam dispersis exoritur (§ 72.). Hac mutatione per nervos a pede ad sensorium commune tendentes propagata, statim conscientia nascitur (§. 75.), hanc sensationem origenem in pede fuisse productam.

§. 77.

Cum autem mutatio conscientiam producens in omni sensatione mediantibus nervis ulterius continetur (§. 75. & 76.):

con-

conscientia ibi producatur, necesse est, ubi cunctarum partium nervi in unum colliguntur. Quæ collectio cum secundum observationes anatomicas in cerebro fieri constet; sequitur, conscientiam omnis sensationis produci in cerebro. Ecce demonstrationem supra (§. 6.) promissam!

§. 78.

At qua ratione mutatio, ope nervorum ad cerebrum delata, conscientiam hic efficit de eo, quod in aliqua parte accidit? Mirum profecto non est, lectorem optare, ut distinctam de re tam admirabili explicationem hic inveniat. Sed ingenuus fateor, me nihil habere, quo curiositati ejus satisfacere possim.



Sectio VI.

Sensus universalis toto corpore diffusus vi mechanica in partes irritabiles sufficienter agente producitur, & hæc impressio, quo validior est, eo vivacior ex ea resultat sensatio. De diversitate irritabilitatis in partibus diversis, & quomodo discerni queat.

§. 79.

Etiam si magnus & multiplex sit sensationum, quæ in hominem cadere possunt, numerus (§. 27. & seq.): tamen omnes in duo genera dividi queunt; nemirum in particulares, quæ certis tantum & determinatis partibus propriæ sunt; & in universales, quæ ab omnibus partibus sensu præditis excitari possunt. Ad sensationes particulares pertinent, visus,

visus, auditus, odoratus & gustus. Inter omnes enim partes sensibiles soli oculi cernunt, solae aures audiunt, solae nares odorantur, & sola lingua saporem percipere potest (§. 22.). Præterea sensibus particularibus accensendi sunt sensus titillationis, stimulus dejiciendi alvum, mingendi &c. fames & sitis. Nam & hi sensus non promiscue ab omnibus corporis partibus sensu præeditis excitari possunt (§. 25. & 26.). Contra sensus universalis excitatur, si pars aliqua sensibilis tangitur, vellicatur aut verberatur. Si enim oculus, auris, nasus, lingua, manus aut pes tanguntur, verberantur, aut vellificantur, sensus tantum universalis nascitur (§. 24.).

§. 80.

Ut vero actio in partem sensum universalem producat, necesse est, ut vi sufficienti agatur: sin minus, nullum effectum parit (§. 51. & seq.)

§. 81.

§. 81.

Si autem actio aliqua in partem sensibilem E. G. vellicatio, percussio &c. sat is valida est: sensus universalis etiam præter voluntatem nostram excitatur (§. 57. & seq.).

§. 82.

Tum vero ceteris paribus sensatio eo vehementior existit, quo validius eodem modo in partem illam agitur.

§. 83.

E. G. Cum nuper tenero amoris affectu incitatus Damon Doridis suæ manum premeret; orta est sensatio tanto quidem vividior, quanto fortius premebat.

§. 84.

Si vero actio in partem sensibilem usque ad certum gradum augetur, sensatio molesta ac dolorosa oritur.

§. 85.

§. 85.

Damon ille, amore abreptus, fortiter nimis delicatulam puellæ manum premebat. Per Venerem, inquit! quam fortiter premis! Manum mihi lædis.

§. 86.

Dolor autem, crescente in partem sensibilem actione, eo gravior evadit, quo magis augetur actio.

§. 87.

Differentiam hanc sensationum Damon luculenter sensit, cum Doris aliquando genas ejus tenera sua manu demulcens blande pulsaret, & paulo post rivalis ei calapam infligeret, quæ tamen tantum ei dolorem non genuit, ac cum eadem die versus noctem a rivali suo adhuc gravius mulcatus, lividis oculis discederet.

§. 88.

Licer vero dolor eo magis crescat, quo, ceteris paribus, actio in partem sensibili-

sibilem magis augetur (§. 87.): tamen hoc doloris augmentum in infinitum non progreditur, sed certos suos terminos habet, quia sensibilitas partium, id est, facultas motum eum producendi, quo origenitus sensatio excitatur, certis quoque limitibus circumscripta est. Igitur quælibet pars, si summum, quem capere potest, doloris gradum produxit, maiorem procreare nequit, etiamsi vis in eam agens magis magisque augeatur.

§. 89.

Experientia vero teste non omnes partes sensibiles pari cum facilitate sensum universalem & dolorem pariunt; sed pro diversitate partium actio plus vel minus valida requiritur.

§. 90.

Partes autem eo sensibiliores esse dicuntur, quo facilius sensum universalem & dolorem producunt. Contra quo tardius sensus hic universalis & dolor producitur, hoc minore sensibilitate gaudent.

In

In hac determinatione sensibilitatis, respicimus tantum ad sensum universalem, non vero ad facultatem particulares sensationes excitandi.

§. 91.

Et sic ratio differentiam sensibilitatis variarum partium explorandi manifesta est. Nihil opus est, nisi experimentis & observationibus stabilire, quænam partes vi mechanica in eas agente, ut contractu, vellicatione, punctione, compresione, percussione &c sensum illum universalem aut dolorem præ ceteris facilius producant (§. 90.).

§. 92.

Granum arenæ in oculo statim dolorem parit, non autem in cute. Densa sine dolore scalpi aut limari potest, cutis vero non item. Igitur in statu sano oculi cute; cutis vero dentibus longe sensibiliores sunt (§. 91.).


§. 93.

§. 93.

Quod jam dixi, majorem nempe aut minorem partium sensibilitatem adhibita vi mechanica explorari debere (§. 91.), hoc ideo factum est, quia hoc modo a multis erroribus immunes manere possumus, qui sane difficilius evitari possent, si in hunc finem rebus acribus uteremur. Particula vitri antimonii soluta ventriculum vehementer afficit, imo inflammationem inducere potest; in lingua vero saporem non reddit, nec in oculis dolorem gignit. Insignis itaque error foret, si inde colligeremus: Ergo ventriculus sensibilior est lingua & oculis. Piper linguam acriter mordet: ventriculus vero haud ægre eum perferre potest. Dentes corroduntur a vitriolo, non oculi. An his casibus ob facilitatem generationis major partis sensibilitas admittenda foret? Nonne hoc concedentes modo hanc modo illam partem magis sensibilem esse diceremus? Profecto fieri non posset, quin hoc modo innumeris

im-

impliciti difficultatibus in inextricabilem, ut ita dicam, errorum labyrinthum aberraremus. Quare ad explorandum cum aliqua certitudine diversam partium sensibilitatem nihil aliud supereft, quam ut actione tantum mechanica, attractu, vellicatione, distensione, verberatione &c experimenta instituantur (§ 91.).



Sectio VII.

Diversa partium sensibilitas in
sano corporis statu certis qui-
busdam regulis subjecta est,
quæ tamen pro circumstantia-
rum morborumque diversitate
multis exceptionibus obnoxiae
sunt.

§. 94.

Dubium non est, quin sensus univer-
salis diversarum partium apud homines
bona valetudine frumentes certis regulis
subjectus sit. Corpora enim humana
eundem in modum constructa sunt, &
ratio, cur divina creatoris sapientia ordi-
nem sensititatis partium in homine sano
hoc, & non alio modo instituerit, in sin-
gulis individuis locum habere debet.
Hinc pars apud unum parum sensibilis,
ceteris paribus, neque apud aliud vi sen-
tiendi

tiendi majore valere potest; pars vero apud unum sensibilissima, etiam apud alios omnes, ceteris paribus, summa sensibilitate gaudere debet, & reliquæ partes sensibiles ex eadem ratione, & sub iisdem circumstantiis inquam, eundem quoque ordinem servent, necesse est.

§. 95.

At quo ordine hæc partium sensibilitas in corporibus perfecta sanitate gaudentibus sibi succedit? Fateor ignorantiam meam, virosque expertos, & quibus ad investigandum res abstrusas plus otii supereat, rogo, ut responsionem hujus quæstionis in se suscipiant, & ita hanc operis nostri lacunam benigne explere velint.

§. 96.

Quamvis autem sensibilitas partium in statu sanitatis, ceteris paribus, ut supra (§. 94.) dixi, certo ordini adstricta sit: tamen mutatis circumstantiis, etiam apud homines sanos insig-

nes mutationes patitur. Ut multa alia silentio præteream, frigoris tantum effectum, qui sæpe hiberno tempore manus pedesque proptermodum insensibiles reddit, commemorare sufficiat.

§. 97.

In variis vero morbis ordo hic adhuc magis turbari potest; adeo quidem, ut naturalis cujusque partis sensibilitas mirandum in modum augeatur aut minuantur. Cujus rei exemplum narrabo. Homo febri intermittente laborans pedes durante frigore calefaciendi causa ardenti fornaci admovit. Frigus vehemens adeo omni sensibilitate eos privaverat, ut nihil sentirent, etiam si graviter comburerentur. Desinente frigore de doloribus a combustione ortis misere querebatur. Febri expulsa pedes sanati corpus ejus **C L** pondo grave facillime ferebant, & licet tanta vi versus solum premerentur; tamen ne minima quidem molesta sensatio inde oriebatur, cum antea combustionem non-

nondum curata ne lenissimam quidem obligationem , blandumque attractum sustinere potuerint. Et hi tamen pedes iidem erant, quos durante febris horrore sine omni sensatione combusserat, & qui nunc non tantum corpus ejus ut antea gestare ; sed etiam absque molestia durum solum fortiter calcare poterant. Quis quæso, nisi ab experientia edoctus , naturalem partium sensibilitatem tantopere augeri minuique posse, crederet?

§. 98.

Addamus aliud exemplum ad rem faciens. Dentes sanæ absque difficultate duram nucem aperiunt: si vero inter cœnandum unica tantum margarita pti- sanæ denti carie excavatæ inhæserit, statim dolores, nonnisi extractione particulæ lædantis sedandi, nascuntur. Dentium dolores qui patitur, sæpe ne respirare quidem per os audet, quoniam aër in iisdem dentibus, quæ, dum illæsæ erant, & limari, & nucem aperire potuerunt, jam dolores vehementissimos producit.

Perill. de Haller, Krause & Van Doe-
veren, pluresque alii viri excellentes ob-
servationes de sensibilitate partium in lu-
cem ediderunt. At, Dii boni! quot con-
troversiae! Multa ex eorum scriptis no-
tatu digna hausi; & Hallero quidem de-
beo, quod jam non tantam ac in juven-
tute mea piæ matri, perioftio, tendini-
bus, aliisque partibus sensibilitatem tribuo:
Krausio & Van Doeverten, quod eas par-
tes non plane sensu destitutas existimo.
Viris hisce celeb. pluribusque aliis haud
minore fama florentibus, multum me de-
bere gratissima mente confiteor.



Sectio VIII.

De falsis Sensationibus.

§. 100.

Sensatio est conscientia mutationis in parte quadam corporis factæ. Res vero, quas sensationis causas esse putamus, vel revera adſunt, vel non. E. G. Homo fanus ſe agmen militum videre non credit, ubi nullum adest; nec tubæ ſonum audire, ubi ea non canitur; nec odorari cinnamomum, ſi aër ejusmodi particulis non ſcatet; nec gustare vinum, quod labiis non admovit; nec conqueritur ſe vapulare, ſi verberibus non mulcatur. Autamen non deſum exempla hominum, qui ſe militum agmen videre, tubam audire, odorari cinnamomum, gustare vinum, verbera & iētus & multa alia perſentire crediderant, etiam si nihil revera aderat, quo ſenſus organa his modis adſici potuiffent.

§. 101.

§. 101.

Si sensatio existit, & res, quam in organum sensibile agere putamus, revera adeat & in illud agit; senastionem hanc veram voco; falsam vero, si res, quæ agere videtur, neque adeat, neque in partem agit. (§. 100). Falsas hasce sensationes propterea sensationibus accen^{eo}, quia in ejusmodi hominibus revera sensationes excitantur; falsas vero eas appello, quoniam homines istis sensationibus falluntur, cum res, a quibus se adfici putant, non adsint.

§. 102.

Sed quibus sub circumstantiis sensations falsæ (§. 101.). locum habent, quibus vero non? Si naturam interrogare velimus, inveniemus illis obnoxios esse

- 1.) Dormientes,
- 2.) Febri ardente laborantes,
- 3.) Melancholici omnis generis, quorsum mente capti & furiosi pertinent,
- 4.) Denique sani sensibus suis negligenter utentes. Sequentes §phi id clarius ostendent.

§. 103.

§. 103.

Si quis secundum quietem somniat, se aut videre cohoret militum, aut auscultare musicam, aut odorari cinnamomum, aut vinum gustare, aut dolorem sentire &c; horum omnium, quibus sensationes istas procreari putat, nihil adest. In dormientibus igitur crebro falsæ sensationes occurruunt (§. 102.)

§. 104.

Eadem est fere conditio eorum, qui variis febrium generibus correpti delirant. Hi enim frequenter cum absentiibus colloquuntur; modo vident, modo audiunt, modo odorantur, modo sapiunt res, quas tamen, quoniam non adsunt, revera sensibus percipere nequeunt. Si tum postea, cessante delirio, se talia dixisse aut fecisse, ab aliis comperiunt; passim respondere solent: Omnia quidem, quæ rarras, recordor, at video mihi ea fecisse in somno. Igitur febris citantibus non modo per quietem, sed etiam

etiam , dum vigilant , falsas sensationes
(§. 102.) contingere appetet.

§. 105.

In hospitiis insanorum innumera falsarum sensationum exempla in melancholicis , mente capuis & furiosis occurunt . His enim , dum hoc vel illud se videre aut audire affirmant , E. G. se in palatio versari , exercitui praesesse &c idem accidit , quod somniantibus aut febri delirantibus evenit (§. 103. seq.). Quidquid sibi videre , audire , odorari , gustare aut tangere videntur , id revera adesse credunt . Divulgata illa hominis Itali historia , qui , cum dramatis musici spectaculo se perpetuo interesse putans , opera medici periti ab hoc morbo & dementia liberarentur , veritatem hujus assertionis extra dubium posuit . Hic enim medico suo pro felici sanatione non modo gratias non habebat , sed diris omnibus eum devovens . Quam miserum me , ajebat , crudelis ille reddidit ! quot deliciis me privavit ! Prius continua laetitia fruebar jucundissimis spec-

speculis delectatus; nunc vero vita mea perpetuo & insanabili mœrore consumitur. Profecto duplicem ei mercedem libenter persolverem, si me in pristinum statum restituere posset.

§. 106.

Hi quoque, qui perfecta sanitate gaudent, non semper a falsis sensationibus immunes sunt, præsertim, si sensibus suis non rite utantur (§. 102.). Aliquando iter faciens versus noctem ad casam rustici cuiusdam multis arboribus cinctam perveni. Hic vetulam splendente facie mihi cernere visus sum, tam clare, ut imaginem ejus statim delineare potuisset. Vetula iterum accuratius considerata, nec errore detecto, confidenter eam salvere jussi. Cum nihil responderet, propius accedens loco vetulæ arboris excisæ truncum, in summitate a putredine fulgentem, inveni.

§. 107.

Etiam animalia haud raro eodem modo
faliun-

falluntur. Quotidie enim fere accidit, ut equus, velut terrore perculsus, e via exsiliat, quin causam hujus consternationis statim deprehendere possis. Si vero, detecta hac causa equum vi coegeris ad rem, quæ pavorem ei incusset, accedere: cessabit metus, nec amplius e via exsiliat.

§. 108.

Jam vero cum falsas sensationes variis sub circumstantiis homini (§. 103. & seq.) occurrere posse, persuasum habeamus: supereft, ut, quomodo in singulis sensuum orientur, declaremus. Igitur a visu ordiamur.

§. 109.

Si agmen militum revera adest, imago ejus retinæ imprimitur, & mutatio quædam in oculo producitur, quæ ope nervi optici ad cerebrum continuatur (§. 75. seq.) ibique motum & mutationem gignit, quibus conscientia, me agmen militum videre, generatur (§. 77.). Si vero agmen militum non adest; nihilominus eadem

eadem mutatio in cerebro nascitur, quæ cum revera tale agmen conspicitur, fieri consuevit; necesse est, ut is, cui id accidit, se agmen militum conspicari credat. Quo casu perinde est, sive mutatio hæc, in cerebro conscientiam excitans, in cerebro ipso, aut in nervo optico, aut in oculo primam originem habeat. Nam ubicunque demum id fiat, omnia, quæ ad veram sensationem & repræsentationem agminis militum in animo excitandam requiruntur, hoc casu adesse arbitror (§. 69. seq.).

§. IIO.

Si aër sonorus buccinæ aurem penetrans mutationem ibi producit (§. 72.), & hæc mediante nervo acustico ad sensorium commune defertur (§. 75.) repræsentatio & conscientia ejusmodi soni in animo excitatur (§. 77.). Si vero nulla tuba inflatur, ideoque nec aër sonorus aures ferit; in cerebro tamen, in aure, aut in nervis auditoriis eadem plane mu-

ratio

tatio gignitur , qualis ab inflata tuba : nihil vetat , quominus revera tubæ sonum audire credamus : hic enim rursus cuncta , quæ ad excitandam in mente sensationem sonantis tubæ conferunt , simul reperiuntur.

§. III.

Cinnamomi odorem dum sentio , a particulis cinnamomi odoriferis in aëre natantibus certa mutatio in naribus oritur (§. 72.), quæ nervorum ope cerebro communicata (§. 75.) conscientiam parit , me odorari cinnamomum (§. 77.). Si vero re ipsa cinnamomum non odoror ; tamen in naribus , nervis olfactoriis , aut in ipso sensorio communi eadem mutatio creatur , quæ dum revera cinnamomum olfacimus , oriri solet : necesse est , ut cinnamomi odorem a nobis sentiri putemus , etiam si hoc non sit verum . Hoc casu enim rursus omnia adiungunt , quibus idea odoris cinnamomi in mente procreari potest.

§. 112.

§. II2.

Si vinum sapio, lingua mutationem aliquam patitur (§. 72.) ; qua ad cerebrum traducta (§. 75.) saporis vinosi sensatio existit (§. 77.). At si in lingua aut nervis, quibus cum cerebro conjungitur, aut in ipso cerebro, idem motus producitur, fieri non potest, quin animus saporis vinosi ideam percipiat.

§. II3.

Si pedis pollicem offendimus, mutatio quædam in ramis nervorum in hac parte dispersis enascitur. Hæc mutatio ad cerebrum translata hic motum illum aut mutationem parit, qua conscientia læsionis in pollice pedis factæ excitatur. At si, licet pollice pedis non impegerimus, nihilominus in ipsa hac corporis parte, in nervis ejus, aut in cerebro ipso eadem, quæ pollice pedis revera læso contingit, mutatio oritur: necesse est, ut in animo læsi pollicis sensatio producatur.

§. II4.

§. II8.

Cum jam satis luculenter ostensum sit, qua ratione in singulis quinque sensibus falsæ sensationes nascantur (109. — 114.), docendum est, quid facere debeamus, si veræne sint, an falsæ, quæ nobis continentur sensationes, scire cupimus. Doctrina hæc proprie ad logicam pertinet, eamque, quia longius ab incepto traheret, hic loci exponere non possum. Quapropter paucis tantum regulis lector acquiescat, rogo.

§. II5.

Siquis rem aliquam observans sensus suos bis adhibet, & primum quidem iis non rite & negligenter; secundum vero, ut par est, accuratius urit, & tum sensationem priori contrariam sentit; necesse est, ut hanc veram; illam vero falsam esse judicet.

§. II6.

E. G. Dixi §pho 106., me truncum arboris excisæ in superiore parte a pu-

tre-

credine fulgentem pro anu splendente vultu habuisse, tum vero proprius accedenti nil nisi truncum apparuisse. Quia hoc casu secunda vice attentius quam priore oculis meis utebar, ideoque sensatio ex accuratiore contemplatione orta priori contraria erat: me non vetulam, sed truncum vidisse, primamque sensationem falsam fuisse, recte judicabam.

§. 117.

Cognito errore a trunko recessi, vetulam ex eadem distantia iterum intueri cupiens (§. 106.); sed omni adhibito molimine jam nihil nisi truncum conspicere potui. Cur altera vice anum non vidi? Quia impossibile erat cogitare, idem objectum simul & truncum arboris esse, & anum splendente vultu. Cum enim oculis rite usus cognovissem; objectum illud non vetulam esse, sed trunkum (§. 116.): hæc idea priorem penitus summovit.

§. 118.

Sic quoque procul dubio se res habet cum equis, qui falsis sensationibus decepti, consternantur & oblique e via exfiliunt. Hi enim pariter objecto, quod terrorem eis incussum, propius accedere coacti, metu liberantur (§. 107.). Quoties vero stulta supersticio, causa talis consternationis equi non statim detecta, graviter pronunciavit: *Equum plus videre, quam hominem;* & quoties credulus fessor haud minore metu, quam equus ipse trepidavit! Ignoscendum est animali bruto, a sensibus decepto, si coeco timore agitatur; sed si homines ratione praediti haud secus ac animalia se gerunt, nonisi forma ab iis differre censeantur, licet avi & proavi eorum viri fortes aut eruditissimi fuerint, & sartor stellam a majoribus, ut illis præluceat, transmissam, acu in veste & amiculo pinxerit.

§. 119.

Altera regula hæc esto: Siquis dicit,

se

se rem sentire; hæc autem talis est, ut omnium, qui adsunt, sensus eodem modo afficere debeat; id autem non sit, sensatio pro falsa habeatur.

§. I20.

E. G. Siquis se tubæ sonum audire aut militum agmen videre affirmat; ii vero, quibus hoc dicit, neque tubæ clangorem audiunt, neque militum agmen conspiciunt; certo colligere licet, sensationem hanc esse falsam. Oculi enim nostri & aures ita constructi sunt, ut, si vere adest agmen militum, aut tubæ sonus auditur, omnes qui aures aut oculos eo convertunt, agmen illud conspicere & tubæ sonum percipere possint.

§. I21.

Simili modo falsas ægrotorum delirantium sensationes experimur (§. 104.), sive febri, sive melancholia, sive alio quocunque maniæ genere laborent (§. 105.). Si delirans, E. g. se vocem ancillæ audire, parochum videre, cinnamomum odo-

rari &c. asseverat; adstantes vero neque parochum vident, neque ancillam loquenter audiunt, neque odorem cinnamomi percipiunt: dubitare non possunt, quin homo deliret, falsisque sensationibus decipiatur. Idem cogitant, ubi melancholicus cohortem militum exerceri jubet, aut pro concione se verba facere putat. Hoc modo errorem hominis itali, qui dramati musico pulcherrimo se continuo interesse, suavissimisque concentibus delectari certo sibi persuasum habebat, apprehenderunt (§. 105.).

§. 122.

Sed si quis se rem aliquam sentire contendit, haec vero non ejus est conditio-
nis, ut omnium, qui præsentes adsunt,
sensis organa necessario adficere debeant:
sæpen numero admodum difficile est, ve-
ritatem invenire. Haud raro tamen eam
investigare possumus, considerando sen-
sationem falsam variis sub circumstantiis,
quæ subinde sponte sua eveniunt, quin
opus sit in iis conquirendis multum de-
sudare.

§. 123.

§. I23.

Ne lectorem diutius detineam, unum aut alterum tantummodo exemplum rei illustrandæ gratiæ adjiciam. Homo quidam dolorem intolerabilem in duobus extremis articulis digití indicis manus sinistræ sensit, etiam si exterius nullum præter naturale signum apparebat. Cum remedia externa sedandi doloris causa dígito imposta nihil omnino profecissent, ægrotus articulos dolentes amputari jussit; quo facto nihilominus de dolore digití lamentari non destitit. Dolor hic sine dubio inde venit, quod in cerebro hominis eadem plane mutatio contigit, quæ indicis apice revera læso ac dolente produci solet. Hic loci longius inquirere nolo, num mutatio in cerebro orta in nervis digití, aut origetenus in ipsa cerebri medulla excitata fuerit.

§. I24.

E narrato casu apparet, sensationem falsam sæpe non nisi singulari quadam & in-

opinata circumstantia deprehendi (§. 122.).
Talis circumstantia hic erat amputatio di-
 giti. Antequam hæc facta fuit, nemo
 suspicari poterat, doloris causam non in
 digito latere.

§. 125.

Eiusmodi casus satis frequenter occur-
 runt. Verum præsul quidam Leesbor-
 nensis, qui morbo singulari per totam
Westphaliā innotuit, nobis exemplum
 huc pertinens longe rarissimum præbet.
Hic intolerandos dolores dentium, quos
 specie optimos habere videbatur, jam
 ultra annum passus duos dentes suspectos
 sibi extrahi jussit, quin vel minimum do-
 loris levamen inde emergeret. Tum con-
 filio celebris medici permotus salivatio-
 nem subiit, quæ pariter malum nec sustu-
 lit, nec imminuit. Tandem, ut sævissi-
 mis cruciatibus semel se liberaret, audax
 consilium cepit, omnesque sibi dentes
 erui jussit. Sed, (quis cogitasset?) dolo-
 res pertinaciter mansere. Hoc quoque
 casu vel in nervis ad cerebrum euntibus,
 vel

vel in ipso cerebro eadem mutatio facta est, quæ a veris dentium doloribus oriri solet, ideoque præsul dentes accusare non destitit, donec omnes eruti essent.

§. 126.

Sectioni huic finem imponere non possum, priusquam aliqua adhuc de morbo parum vulgari locutus fuero; de quo, cum res notatu dignas commemorare possum, brevem hanc digressionem lectoribus non ingratam fore arbitror. Morbum istum singularem semel & iterum in tota vita mea observavi, & nomine *Melancholiæ periodicæ* notavi. Primus, quem eo laborantem vidi, vir erat annorum circiter triginta quatuor; alter vero quadraginta sex. Ingruente paroxysmo respiratio anhelosa erat, & pulsus inæqualis. Paroxysmus subinde tantum per octavam horæ partem, nonnunquam vero per plures horas durabat. Nulli certo temporis periodo adstrictus aliquando sex aliquando pluribus hebdomadibus transactis rediit; non raro autem eodem die sæpius,

sæpius, & noctu quidem æque ac interdiu. Si noctu; ob anxietates & respirationis difficultatem e lecto surgere, & vel aperta fenestra, aut sub dio aërem recentem haurire cogebantur. Durante paroxysmo multifariæ visiones iis obversabantur. Et quidem tempore belli milites, pugnas, certamina singularia &c videbant. Tum impetu morbi remittente, quid egerint menses, quibus vestibus induiti fuerint, accurate recensebant. Pacis vero tempore ut plurimum funera, exequias, rarius nuptias aut alias res jucundas spectabant, singulos, qui illis pompis interfuerent, nominabant, multasque alias circumstantias referebant. Extra paroxysmum, more epilepticorum, bona valedine frui videbantur.

§. I27.

Quid jam de illis hominibus sentiamus, qui se funerum proxime efferendorum phantasmatæ (*) videre gloriantur, & ho-

(*) Apud nostrates: Die Vorgeschichte, das Vorgeschäfte, die Vorbedeutung.

hodie dum apud plurus adhuc fidem inveniunt? Satis scio, alios lucri cupiditate, alios vero aliis causis impulsi hanc fraudem exercere. Novi hominem, qui frequenter interrogatus: num ex hac vel illa domo funus efferri viderit; tam callide se gessit, ut non ante, quam persoluta mercede, responsum dare vellet. Hunc quæstus faciendi causa ad ejusmodi mendacia excitatum fuisse, facile existimari potest. Alius e plebe, visionibus suis magnam famam adeptus, per temulentiam confessus est, se nulla unquam re magis delectari, quam si aliis hominibus, illis præcipue, qui ratiocinio præ ceteris multum valere sibi persuadent, mendacia sua pro veritatibus venditare possit. Quam voluptatem sibi, quoties occasio aderat, narrando visiones suas, procurare studebat. Verum de hujusmodi nebulonibus hic non loquor; sed de iis tantum, qui melancholia periodica affecti, revera se varias habere visiones existimant. Pulsus eorum inæqualis, anxietas

xietas & respiratio difficilis clare satis ostendunt, eos vere ægrotare. Nonne hi sunt, qui sibi aliisque, se elationes funerum videre, persuaserunt? Quam certus sum, homines istos visiones, quas enarrare solent, revera habuisse (§. 105.); tam confidenter quoque adfirmare ausim, causam, qua mutatio ad gignendas visiones necessariæ in cerebro exoritur, morbo cuidam adscribendam esse (§. 102. & seq.). Si id autem negari non potest, facile intelligitur, a visionibus eorum res futuras non magis dependere, quam a deliriis febricitantium (§. 104.), aut falsis ideis melancholicorum, quorum in hospitiis vesanorum magnus saepe numerus inventur (§. 107.). Pergam in recensenda duorum hominum melancholia periodica affectorum historia morbi, quia hoc modo veritas eorum, quæ docui, luculentius apparebit.

§. 128.

Alter horum vir erat admodum dives. Legitur non lucri faciendi causa, se funeribus

bus videndis obnoxium esse, portendit; sed summo studio visiones suas celabat, veritus, ne stultis illis aut fraudulentis hominibus, qui se funera spectare jactantur, accenseretur. Hic igitur causa non aderat, cur alios decipere conaretur. Ipse quid de statu suo judicaret, nesciebat. Si anxietates suas & difficilem respirationem secum reputabat, se ægrotare non dubitavit: si vero res varias & insolitas, quas spectare debebat, in memoriam revocabat, rursus dubitare cœpit, num forte magicis incantationibus in hunc statum redactus, aut jam inde a nativitate prævidendæ hominum morti destinatus esset. Tandem mihi se commisit, sperans fore, ut a dubiis se liberarem, & si forte morbus esset, mederer. Contigit mihi, ut illum certis argumentis convincerem, falsas visiones suas nihil aliud esse nisi symptoma latentis morbi. Tum temporis, viginti quinque ab hinc annis, artem medicam recenter professus, more medico-rum juvenum, justo majorem ei spem cu-

rationis feci. Remediis omnibus diligenter utebatur, sed frustra. Superiore demum bello, medicamentis adversus alium quendam morbum optimo cum successu adhibitis, simul & melancholia evanuit. Ab hoc tempore funera amplius cernere non potuit. Hac ratione firmiter mihi persuasi, homines, qui aliis imponere nolunt; sed variis hujuscemodi visionibus vere obnoxii sunt, imo funeribus spectandis se destinatos esse, sincere credunt, melancholia periodica laborare.

§. I29.

Alter horum ægrotantium postea epilepsia correptus, tandem apoplexia extinctus est.

§. I30.

At quæret fortasse aliquis, qui fiat, resic comparata, ut prædictionibus illorum hominum eventus respondeat. Ut verum fateamur, una tantum alterave harum visionum cum eventu congruit, maxima vero earum pars inanis est, nec unquam impletur. Utrumque autem necessarium est,

est, ut omnibus, qui doctrinam de prædictionibus, casu fortuito eventum sortientibus, e logica adhuc probe tenent, cognitum esse debet. In gratiam eorum, qui rem ignorant, paucis eam explicabo. In regione, octo urbes habente, acie decernendum est, & apud quam harum urbium id fieri debeat, quæritur. Si totidem hominum singuli urbem sibi elegunt; fieri non potest, quin unus eorum urbem, apud quam proelium committetur, non diviner. Siquis igitur in conjecturis faciendis neque felix neque infelix est, octies divinando necessario semel rite conjicet. Item ponamus, aliquem intra 75 & 85 ætatis annum decessisse. Decem homines, quonam anno hoc factum sit, conjectura assequi cupientes singuli singulos annos indicant. Jam dubium non est, quin unus ex omnibus verum annum elegerit. Itaque si aliquis, uti hoc casu factum est, decies divinando rem semel tetigerit, in conjecturis faciendis neque felix neque infelix esse censetur.

featur. Hæc si diligentius perpendantur,
 luce meridiana clarius apparebit, aliqua
 de rebus possibilibus præfigia eventui
 respondere posse, imo necessariorum esse,
 ut unum alterumve illi respondeat. Sic
 quoque prædictionum a melancholicis pe-
 riodicis prolatarum una vel altera necessa-
 rio eventum sortiri debet. Tum vero
 vulgus stolidum non amplius respicit ad
 ingentem illam prædictionum copiam,
 quæ destituuntur eventu; sed tantum ad
 paucas illas, quas exitus confirmare vi-
 detur, easque avide arripiens, tot men-
 daciis variisque circumstantiis ornare at-
 que extollere solet, ut homines creduli
 ac superstitiosi facillime decipientur. Rem
 hanc se non aliter habere, certo affirmare
 possum. Nam vir ille, de quo supra
 dixi, rogatu meo, omnes visiones, quas
 spatio sex mensium habuit, mihi prescrip-
 fit, & harum omnium ea erat conditio,
 qualem supra memoravi. Mirandum sane
 est, quanto cuin ardore, quoties de hu-
 jusmodi visionibus sermo est, supersticio-
 nis

nis defensionem stultitia in se suscipiat.
 Centies audivi, ubi aliquis in hac illave
 domo mortuus erat, jam ante duos, tres,
 quinque annos pomparam funebrem ex hac
 domo prodeuntem apparuisse. Quid in-
 sanius esse potest, quam ejusmodi ex-
 empla proferre? Si domus existeret mor-
 talibus inhabitata, e qua nunquam funus
 elatum esset, Dii boni! quot bella, quot
 clades inde orirentur! Quam avide hanc
 perpetuam sibi sedem facere reges nite-
 rentur! Sed optime institutum est a di-
 vina providentia, quod ejusmodi domus
 nunquam inveniuntur. Quia autem non
 inveniuntur, nihil impedit, quominus
 omni tempore, serius citius, eveniat,
 si quis, spiritu adflatus propheticō, funus ex
 hac vel illa domo elatum iri prædixerit.

DE
VIRIBUS VITALIBUS,
ET QUA RATIONE
IRRITAMENTIS ADHIBITIS
MUTARI POSSINT.



VIRIBUS VITIIS
зимой и в тё-
хнада эти знати
и гости



Sectio IX.

De viribus vitalibus fibrarum
muscularium, & variis motibus,
qui ab illis producuntur.

§. 131.

Pueri ambulantes serpentem offendunt in via, quem statim in frusta concidunt. Sed partes dissectas sese adhuc movere animadvententes, rei novitate capti subsistunt, ac per aliquod tempus attente contemplati recedunt. Redeuntes post horam frusta rarius quidem & lentius, tamen movere sese adhuc vident. Ecce, inquit unus, partes serpentis adhuc vivunt. Alter, id quoque admiror, respondet.

§. 132.

Cur autem pueri, frusta serpentis adhuc vivere dicebant? Scilicet persuasum

sibi habebant, motus, quos videbant, spirante adhuc serpente locum habuisse, nec unquam tale quid in rebus vita parentibus se observasse, recordabantur; nec fugit eos, motum hunc in frustis serpentis superstitem aliquando extinctum iri. Hinc a vita, in partibus his concisis adhuc residua, hosce motus oriri, recte colligebant.

§. 133.

Hujusmodi phænomena haud dubie jam dudum a medicis observata fuerint. Sed sciebant, ea a certis fibris, harumque contractione ac restitutione pendere, hominesque & cetera animalia talibus fibris instructos esse, non ignorabant. Igitur optimo jure contendebant, certas fibras in cunctis corporibus vivis exercere vires a vita pendentes, easque nomine *virium vitalium* notabant. Quid ergo, quoties hæc denominatio in sequentibus occurret, sub ea intelligendum sit, e supradictis facile appareat.

§. 134:

§. 134.

Hactenus nihil est, quod reprehendas. Quicunque medicis, eorumque viribus vitalibus contradicere audebat, hunc sensuum testimonio convincebant. Sed quis nescit, homines omnia cognoscendi cupiditate ductos nonnunquam angustos rationis humanæ terminos transgredi, impossibilia tentare, resque in omnes partes versando, non raro in gravissimos errores incidere? Quod medicis quoque accidit. Non sufficiebat his cognoscere, cunctis animalibus inesse fibras, quarum vires motrices a vita dependerent (§. 133.): sed etiam curiose inquirebant, quomodo vires istæ vitales motusque ab iis pendentes oriantur. Mirum profecto foret, si post tot studia & labores id tandem se penitus perspectum habere non credidissent. Fingebant materiam tenuissimam, invisibilem, subtilitate materiam electricam longe superantem in cerebro seceri, quæ, fulgure citius e cerebro per-

nervos ad fibras vi vitali præditas dela-
ta, vires motrices produceret. Cum ma-
teriam hanc tantæ tenuitatis esse cogita-
rent, *spiritum* eam vocabant, more phar-
macopolarum, qui fluida chymica sub-
tilissima hoc nomine appellare solent.
Hi autem spiritus, quoniam motus a vita
pendentes procreare debent, spirituum
vitalium nomen sortiti sint. Quod eo
consilio hic notare volui, ne quis spiri-
tus vitales cum *viribus* sic dictis *vitalibus*
imprudenter misceat. Sicut enim dubi-
tare non possum, quin vires hæc vitales
vere existant; ita & audacter contendo,
illos nonnisi in eorum cerebris, qui in
incantatis Fearum palatiis versari consue-
runt, secerni.

§. 135.

Cavendum etiam, ne succum nervo-
rum, id est, humorem illum visibilem,
qui nervos irrigat, pro spiritibus vitali-
bus habeamus. Nam, ut supra dixi, hi
adeo tenues sunt & veloces, ut oculis
videri nequeant, & fulgure citius per-

ner-

nervos moveantur (§. 134.). Succus autem nervorum non minus certe animantibus inest, quam vires vitales (§. 133.). Sine hoc enim humore nervi officia sua præstare non possent. Nam nervus exsiccatus nulli omnino motui excitando idoneus est. Sed hæc omnia paulo post, commodiorem occasionem nactus, latius persequar.



Sectio X.

De fibris muscularibus, quid sint
& quomodo dividantur.

§. 136.

Cum jam ex prioribus satis intelligamus, certas fibras in corpore vivo vi præditas esse vitali (§. 133.) ; quæritur. Quomodo certi esse queamus, an fibra ejusmodi viribus gaudeat, nec ne. Explorandum tantum est, an sensibiliter se movere possit, & an vires hæ motrices morte deleantur, aut contra. Si facultatem habet, se vivo in corpore sensibiliter movendi, & hæc simul cum vita evanescat ; talem fibram vi vitali instructam esse, tuto existimare licet ; sin minus, contrarium obtinet.

§. 137.

E. G. Fibræ cordis vivo in corpore se movent ; morte vero hoc motu pri-
vantur.

vantur. Fibræ cordis igitur vires habent a vita dependentes, id est, vires vitales (§. 136.).

§. 138.

Omnes autem fibras solidiores, viribus vitalibus instructas, ideoque sponte se moventes (§. 136.), fibras musculares vivas; mortuas autem echo, si motum amplius producere non possunt.

§. 139.

Quoties e sensu & connexione verborum facile intelligi potest, an de vivis aut mortuis fibris muscularibus loquamur, brevitatis studio hæc epitheta omitti solent.

§. 140.

Ad fibram muscularēm, duæ requiruntur qualitates, ut supra (§. 139.) dixi: scilicet 1.) soliditas, 2) vires vitales a vita pendentes.

§. 141.

Nervorum fibræ molles sunt & pulcherrimi.

similes, sicut cerebrum. Igitur, licet vi
præditæ sint vitali, tamen fibræ muscula-
res dici nequeunt, quia id, quod ad con-
stituendam fibram muscularem necessario
requiritur, major scilicet soliditas (§. 140.),
desideratur.

§. 142.

Ceterum color rubicundus meo qui-
dem judicio non pertinet ad definitio-
nem fibræ muscularis. Etiamsi enim ta-
lis fibra tamdiu lavetur, donec ruborem
plane amiserit; tamen fibra muscularis
esse non desinit. Fibræ carnis vitulinæ
elixæ albescunt; id tamen non obstat,
quominus fibris muscularibus jure accen-
seantur. In corpore humano aliæ fibræ
musculares albæ sunt, aliæ rubræ. In
quibusdam vero animalibus, E. G. ranis,
limacibus &c omnes albæ. Color fibra-
rum albus sit, an ruber, hoc nihil ad rem
facit, nec fibra alba minus est fibra mu-
scularis, ac rubra. Ad definitionem fibræ
muscularis nihil aliud requiritur, nisi, soli-
ditas & facultas sese propter vires vitales

mo.,

movendi (§. 140.). Sic fibræ albæ uteri, visicæ urinariæ, aliarumque partium, meo quidem arbitrio, pro fibris muscularibus habendæ sunt.

§. 143.

Motus omnes partium solidarnm in corpore humano: cordis, intestinorum, ventriculi, oculorum, linguæ, pednm, manuum, digitorum &c a solis fibrarum muscularium viribus vitalibus pendent (§. 140.), & cujuslibet fibræ motus fit tantum contrahendo sese, accurtando, restituendo.

§. 144.

At quæreret fortasse aliquis: Si hoc verum est (§. 143), qui fieri potest, ut fibra muscularis sola contractione & restitutione tam varios notus in diversis partibus solidis producat? Quanta enim varietas est motuum cordis, intestinorum, digitorum &c! Sed, quantacunque demum sit, tamen qui varium situm & dispositionem fibrarum attente consideraverit,

rit; haud difficulter intelliget, diversos illos motus a diverso situ & collocatione fibrarum necessario produci. Quarum contractio & extensio in tam diversa partium structura non minus necessario multiplices motus excitare debet, quam vis sufficiens, automato versandis assis, horologio, molæ farinariæ & tabulari &c applicata, ingentem motuum varietatem producit.

§. 145.


Motus a fibris muscularibus ortos medici in tres species dividerunt, & quidem

1.) In *spontaneos*, id est, qui voluntati non parent. Huc pertinent motus cordis, ventriculi, intestinorum &c. Qui enim febri ardenti laborat, motum cordis concitatum libenter sane minueret; sed voluntas hic nullum imperium exercere potest. Item qui difficultate concoquendi cibos a motu peristaltico nimis lente orta affectus est, is libenter eum augeret; sed voluntas hic pariter nihil efficere potest,

2.) In

2.) In *voluntarios*, id est, qui voluntati subjecti sunt. E. g. a sola voluntate pendet, ut fibræ musculares pedum meorum sic agant, ut ire, stare, currere aut salire possim. Voluntas digitos quiescere aut moveri jubet. Voluntas manum dirigit, sive comprehendendum aliquid aut pulsandum sit &c & qua ratione id fieri debeat, lenius, fortius &c.

3.) In *mixtos*, id est, qui voluntati quidem ex parte obnoxii sunt, sed etiam sine ea locum habent, omitti per aliquod tempus ac temperari varie possunt. Quorsum in primis respiratio referri solet, quam accelerare quidem, cum volumus, ac varie moderari, tamen prorsus cohibere non possumus.



Sectio XI.

De irritatione & ejus effectibus
in genere.

§. 146.

De irritatione & ejus effectibus scripturus necessarium existimo, jam ab initio, quænam notio huic voci subjicienda sit, indicare. Non aliam autem, quam quæ per totum orbem recepta est, notionem tradere conabor. Temere enim a vulgaribus notionibus recedere insignis error est, & præceptis logicis merito damnatur. Quare diversos casus adferam in quibus vox *Irritatio* vulgo adhiberi solet, & inde notionem hujus vocis vulgarem derivabo.

§. 147.

Salis particula vulneri hominis vivi inspersa; calx oculis illapsa; festuca eutem pungens; lapis causticus vulneri applicatus;

tus; verbo, quælibet causa externa agens in partem sensibilem non modo a vulgo sed etiam ab ipsis medicis & chirurgis eam irritare dicitur. Quodsi vero in has partes, amissa sensibilitate, vel etiam in alias quasvis natura insensibiles (§. 12.) agitur, E. g. si mediastinus sale carnem condit, si in theatro anatomico oculus dissecatur, si cutis mortui festucis pungitur &c; nemo profecto has partes irritari dicet.

§. 148.

Irritatio igitur nihil aliud est, nisi actio in partem sensibilem (§. 147.).

§. 149.

Hic fortasse aliquis definitionem hanc (§. 148.) propterea falsam esse putabit, quod in ea nihil de motu sensibili, quem irritatio sæpiissime producere solet, occurrit. Ad definitio tum demum vitiosa foret, si de hoc motu in ea mentio facta esset. Motus enim, qui in parte irritata sæpe irritationem sequitur, non est irritatio.]

tio ipsa, sed effectus irritationis. **Causa** autem non est miscenda cum effectu. **Præterea** omnes dicunt vulnus a festuca, cutem ab unguibus irritari, etiamsi hoc modo motus sensibilis non excitatur. **Igitur** notio motus sensibilis merito ex hac definitione exsulat.

§. 150.

Alia objectio ab amico mihi facta, hæc est. **Cor** e corpore resectum tamdiu irritari posse dicitur, quamdiu ei motus adhuc inest; tale autem cor non amplius sentit; ergo irritatio in partibus sensibilitate privatis locum habere potest. Sed quam parvi momenti est hæc objectio! Amicus meus differentiam, quæ interest inter sensationem & sensibilitatem partium neglexit. **Cor** enim exsectum sentire quidem amplius non potest (§. 13.); tamen tamdiu sensibile est, quamdiu ob residuas vires vitales movetur (§. 13.). Quamdiu igitur superstite vi vitali movetur, tamdiu a vi sufficiente externa irri-

irritari adhuc poterit; non vero si, amissis viribus vitalibus, penitus emortuum sit.

§. 151.

Irritatio nihil est, nisi actio in partem sensibilem (§. 148.). Ut igitur majorem vel minorem irritationis gradum rite determinare queamus, respiciendum est ad sensibilitatem partis irritandæ, & ad vim actionis irritantis.

§. 152.

Ergo pars sensibilis eo magis irritatur, quanto validius in eam agitur; contra quo debilior est actio; eo minor quoque irritatio exoritur (§. 151.).

§. 153.

E. G. Pars sensibilis unguibus fricata irritatur, & quidem tanto vehementius, quanto magis fricatur.

§. 154.

Si vero ad diversam partium sensibilitatem respexerimus, quamlibet partem

H

eo

eo magis irritari posse inveniemus, quo major ejus sensibilitas est; quo minore vero sensibilitate gaudet; eo minor quoque irritatio nascitur (§. 151.).

§. 155.

E. G. Quia oculus cute, hæc autem dente sana sensibilior est (§. 92.); oculus eadem actione magis, quam cutis; hæc autem magis, quam dens sana irritatur (§. 154.).

§. 156.

Cum jam demonstratum sit, irritacionem nihil aliud esse, nisi actionem in partem sensibilem (§. 148.) tempus erit effectus ejus & consequentias considerandi. Multum autem differt, an partes sensibles (§. 10. & 12.) irritandæ fibris muscularibus, vim motricem habentibus (§. 143.) præditæ sint, aut contra.

Consideremus igitur, quales effectus irritatio producat

1.) In partibus, quæ sensibilitate quidem, non vero fibris muscularibus instructæ sunt. 2.)

2.) In iis partibus, quæ vel in totum
vel ex parte tantum fibris musculari-
bus constant.

Sectio XII.

De irritationis effectu in partibus sensibilitate tantum, non vero fibris muscularibus praeditis.

§. 157.

Si pars sensibilis, fibris muscularibus destituta (§. 156.), irritatur, & quidem

- 1.) Si irritatio (§. 148.) satis valida non est, nulla plane oritur sensatio (§. 20.).
- 2.) Si vero vim sufficientem habet, sensatio excitatur (§. 81.).
- 3.) Tum, crescente ad certum usque gradum irritatione, sensatio fit molesta aut dolorosa (§. 84. & 85.), & quidem
- 4.) Eo molestior ac dolorosior, quo vehementior pars sensibilis irritatur (§. 86. seq.), donec tandem sensatio ad summum gradum provecta fuerit. Tum vero, licet actio in partem sensibilem adhuc magis continetur & augeatur, nullum amplius incrementum admittit (§. 88.).

Sec-



Sectio XIII.

De effectibus irritationis in iis partibus sensibilibus, quæ vel in totum vel ex parte fibris muscularibus constant.

§. 158.

Quid eveniet, si pars, vel in totum vel ex parte fibris muscularibus concinata, irritatur? Quia fibræ musculares non modo sensibles (§. 12.) sunt; sed præterea viribus vitalibus gaudent (§. 133.); attendendum est, 1.) ad mutationem, quam respectu sensititatis exserunt, & 2.) ad eam, quam vires earum motrices subeunt.

§. 159.

Si ad solam duntaxat fibrarum muscularium sensititatem respicimus (§. 158.): alios effectus irritationis præter illos, quos reliquis partibus sensibilibus contin-

H 3 gere,

gere, jam supra memoravimus, non reperiemus. Si irritatio justo levior est, nulla prorsus sensatio sequitur; si vero vim sufficientem habet, exoritur sensatio; si tum vis, partem irritans, adhuc vehementius agit, sensatio quoque, crescente irritatione, augetur (§. 157.).

§. 160.

Si autem motum tantum, quem fibræ musculares exercent, & qui a viribus earum vitalibus dependet, consideramus (§. 158.); experientia nos docet

1.) Quod vires earum motrices mutationem sensibilem non patiantur, nisi irritatio sit sufficiens.

2.) Quod in illis partibus; in quibus vis vitalis fibrarum major est, quam sensibilitas, irritatio facilius motum; in reliquis vero, in quibus sensibilitas vim vitalem superat, facilius sensationem pariat. Sic materia febrilis cor irritando motum facilius, quam sensationem in eo producit; contra vero res acres,

acres, cuti impositæ, hic facilius sensa-
tionem quam motum generant.

- 3.) Quod deinde vires motrices, si irri-
tatio continuatur, adeo augeantur, ut
nullum amplius incrementum motus
suscipere possint. Tandem
- 4.) Quod hæc phænomena singulis tri-
bus fibrarum muscularium speciebus
communia sint (§. 145.).

Experimentis, quibus veritates hic alla-
tæ confirmantur, sequentem sectionem
destinabo.

A

B

C



Sectio XIV.

Experimenta quædam, quibus probatur, fibras musculares actione sufficiente irritatas eo majorem semper motus exercendi conatum adhibere, quo major est irritatio; donec tandem facultas excitandi motus non amplius augeri possit.

§. 161.

Experimenta, de quibus in inscriptione hujus Sectionis mentionem feci, primo in fibris muscularibns voluntati non parentibus, ostendam. Tum ad fibras voluntati subjectas progrediar, ac postremo de iis, quæ motibus mixtis destinata sunt, locutus, huic capiti finem imponam.

§. 162.

Ad primam fibrarum muscularium speciem

ciem (§. 161.) sine dubio referendæ sunt illæ, quæ motum pulsantem cordis & vermicularem intestinorum producunt. Aliquando, motum cordis contemplandi causa, cultro cani pectus aperui, & cor denudatum acu tam leniter pupugi, ut vix apice illud tangerem. Hæc irritatio autem, utpote nimis exigua, motum ejus nec augere, nec accelerare potuit. Cum vero paulo post acu fortius pungerem, manifesto vehementiores frequentioresque motus exorti sunt (§. 160. No. 1.).

§. 163.

Experimenta hæc in corde ranæ simili modo repetita eundem plane effectum habuerunt. Irritatio nimis lenis nullam; sufficiens vero visibilem mutationem genuit (§. 162.).

§. 164.

His diligenter observatis in alia rana, discesso pectore, cor nudavi, & donec motus ejus fere evanuit, exspectavi. His sub circumstantiis acu leniter illud pun gere

gere cœpi, sed nullus aliis, præter eum, qui jam aderat, motus apparuit. Cum vero pungendo fortius irritarem, motus factus est vehementior, atque celerior (§. 160. No. 1.).

§. 165.

Aliam vero ranam huic experimento subjiciens tamdiu expectavi, donec pulsatio cordis penitus cessaret, quod demum post horas XIII. contigit. Hoc tamen non oblitit, quominus irritatione sufficiente denuo resuscitaretur. Cor enim eo crebrius atque validius se contrahebat, quo violentius pungendo & vellencando illud irritabam (§. 160. No. 3.).

§. 166.

Quo facto experimentum alio modo institui. Cor ranæ ex pectore exsecui, orbique ligneo imposui. Sed hic etiam non aliter, ac antea in corpore, pulsare perrexit. Jam sex ranarum corda immensa jacebant, in quorum singulis experi-

perimenta (§. 162. – 166.) enarrata repetendo inveni, quod ad augendum, accelerandum aut producendum cordis motum irritatio sufficiens requiratur, talisque irritatio, quo fortior est, eo magis motum cordis promoteat (§. 160. No. 3.).

§. 167.

Motus autem cordis non modo irritatione mechanica, pungendo aut vellicando; verum etiam variis rebus acribus, quamdiu vires vitales adhuc supererant, reproduci potuit: oleo vitrioli, sale &c.

§. 168.

In variis quoque ranarum cordibus observavi, motum eorum nulla re plenius redintegrari, quam aëre in ventriculos inspirato aut injecta aqua tepida.

§. 169.

Experimenti causa etiam aquam tepidam in qua salis aliquot micæ solutæ erant, injeci. Hac ratione motus cordis adhuc plenius, quam ante, sola aqua injecta,

jecta, restitutus est, atque etiam diutius duravit.

§. 170.

Ex hoc ultimo experimento (§. 169.) facile intelligitur, cur materiæ febriles diversæ cum sanguine in ventriculos cordis delatæ, motus ejus augere & accelerare (§. 160. No. 2.) possint. Hujus rei explorandæ causa etiam experimenta superdicta institui.

§. 171.

Eadem phænomena, quæ (§. 162. — 170.) in cordibus ranarum accidisse narravi, apparuerunt, cum intestina viribus vitalibus instructa irritarem. Cani super mensam firmato ventrem aperui, & intestina denudata irritavi. Hic notatu dignum mihi videbatur, quod motus eorum vermicularis initio vix percipi poterat, irritatione vero continuata sensim restituiebatur.

§. 172.

Motu vermiculari hoc modo plenarie resti-

restituto (§. 171.) acu, ut antea (§. 162.) in cordo feceram, intestina leniter irritavi. Hæc irritatio vero ne minimam quidem mutationem visibilem produxit. Verum cum postea, partim vi mechanica: pungendo, vellicando &c, partim sale & variis rebus acribus ea satis fortiter irritasse: motus vermicularis manifesto increvit (§. 160. No. 3.)

§. 173.

Fortiore vero ac sufficiente irritatione excitata se contrahebant ac penitus obstruebant. Fibræ enim contractæ vires motrices motum vermicularem parientes superabant. Qno factum est, ut hic motus in parte clausa suffocaretur. Cum experimenta hæc in intestinis abdomini adhuc inclusis fecisset, (§. 171. – 174.) intestina corpore resecta exempti, remque miram ac prorsus inexpectatam vidi; motus nempe vermicularis longe facilius procedebat, quam antea, cum a ventre nondum essent separata.

§. 175.

§. 175.

Sed quænam erat ratio , quod statim ab initio , ventre recenter aperto , motus vermicularis tantopere imminutus esset , ut vix oculis observari potuerit ? (§. 171.). Cur deinde restitutus quidem fuit ; sed non tam plenarie quam paulo post intestinis e corpore exemptis (§. 174.)? Meo quidem judicio dolor ex incisione muscularum cutaneorum & abdominalium ortus in causa erat . Dolor enim in cunctis operationibus , quæ instrumento chirurgico fiunt , initio acutissimus est ; deinde vero sensim sensimque remittit ? Si igitur dolor motum vermicularem impedire potuit ; facile intelligitur , cur statim post incisionem ventris motus vermicularis evanuerit (§. 171.) : cur cessante dolore reversus & auctus (§. 172.) ; cur denique intestina , cum e corpore exempta erant , & dolor a læsis muscularis cutaneis & abdominalibus ortus , nullam amplius mutationem in iis producere poterat , vehe-

men-

mentissime se moverint (§. 174.). Quod autem dolor in una parte enatus in altera motum impedire possit, facile demonstrari potest; siquidem Hippocrates jam docuit: *Dolor vehementior obscurat alterum.* Quod etiam de viribus motricibus dici posse in libello *de Actione attrahentium* luculenter satis ostendi. Sed ad propositum redeamus!

§. 176.

Experimenta hæc in intestinis e ventre nondum exsectis (§. 171. – 174.) instituta pari modo, postquam ea exemeram, iteravi. Hic quoque irritatio minus valida nullum effectum produxit; sufficiens vero, vel instrumentis, vel variis rebus acribus facta, motum vermicularem manifesto auxit (§. 160. No. 1.). Intestina quoque, ut ante (§. 173.) in loco fortiter ac sufficienter irritato arctissime se constringebant.

§. 177.

Jam, ut antea in corde tentaveram,
per

per exiguum foramen aquam tepidam in intestina injeci. Quo facto, sicut prius pulsatio cordis (§. 168.); ita & nunc motus vermicularis intestinorum magnopere augebatur.

§. 178.

Sed multo vehementior atque constanter hic motus evasit, cum paulo post aquam sale mistam injicerem (§. 160. No. 3.).

§. 179.

Si motus vermicularis intestinorum augetur: fibræ eorum fortius agunt; si fibræ fortius agunt; necesse est ut intestina, crescente fibrarum orbicularium actione, coarctentur (§. 173.). Cum igitur sal intestinis injectus non modo vermicularem intestinorum motum, verum etiam conatum sese coarctandi adaugeat, ratio in promptu est, cur parum salis clysmati admixtus, saepe statim abdomen moveat.

§. 180.

§. 180.

Cum jam satis clarum atque perspicuum sit, fibras cordis & intestinorum musculares voluntati non subjectas, tum demum validius se movere, si sufficienter irritantur; deinde vero vires eo maiores exercere, quo fortior irritatio (§. 162 & seq.), donec tandem ad summum pervenerint: videamus, an ita quoque se res habeat cum reliquis fibris muscularibus viribus vitalibus instructis & voluntati non obnoxiiis? Fibræ muscularæ voluntatis imperio non subjectæ genere & specie inter se non differunt, varii autem motus, quos excitant, non ab inde, sed a situ earum vario, & multiplici partium conformatione (§. 144.) dependent. Itaque, quod de solis tantum cordis & intestinorum fibris muscularibus demonstratum est, (§. 162. – 179.) id de reliquis quoque, qui voluntati non serviunt, valere debet.

§. 181.

Nunc fibras musculares ad nutum & arbitrium voluntatis sese moventes (§. 145. No. 2.) considerabo. Hæ ab antecedentibus in eo differunt, quod, nisi a voluntate moveantur, continuo quiescant; cum e contrario fibræ voluntati non obnoxiae perpetuo labore exerceantur. Videamus effectus, quos hic quoque irri-tatio produxerit.

§. 182.

Fibræ musculares voluntati obtempe-rantes sufficienter irritatæ librantur & spasmodice se contrahunt. Hoc adeo notum est, & tot experimentis confir-matum, ut in eo declarando diutius im-morari supervacaneum fore existimem. Nihilominus observationes meas super hac re in femore canis factas, paucis adjiciam.

§. 183.

Musculum femoris externum canis in-gentis vivi in mensa firmati cultro latitu-dine

dine palmæ denudavi. Hujus tremor observabatur non exiguus, qui sensim sensimque remittens, tandem penitus evanuit.

§. 184.

Post aliquod tempus musculi tremore plane cessante, instrumento acuto hunc leniter pungebam. Nullus inde motus, nullus tremor, nulla spasmodica contractio (§. 160. No. 1.).

§. 185.

Expectavi igitur minutum, & validiore paulum instrumenti pungentis irritatione, tremor fibrarum ejus resuscitatur (§. 160. No. 3.) qui interjecto brevi temporis intervallo rursus cessavit.

§. 186.

Igitur adhuc minutum expectavi, & Jain eodem instrumento violentius punctæ, fibræ ejus non modo contremebant, verum etiam motu spasmodico se contrahebant. Contractio hæc spasmodica

iteratis vicibus insecura est , posteriores vero spasmi prioribus semper debiliores erant. Tempore intermedio fibræ trepidabant , & hic tremor , contractione spasmodica jam cessante , adhuc per aliquod tempus durabat ; tum vero tremore sensim sensimque remittente , musculus quiescere cœpit.

§. 187.

Cum deinde volsella fibras musculi sufficienter irritarem , similis plane effectus apparuit (§. 186.).

§. 188.

Fibræ motibus destinatæ voluntariis fatis validam irritationem ferre possunt , quin tremore adficiantur. Alioquin enim musculus femoris nudatus post aliquod tempus tremere non desisset (§. 183 seq.). Ad motum vero tremulum excitandum haud ita valida irritatio requiritur , quam ad contractionem spasmodicam producendam necessaria est (§. 184. seq.).

§. 189.

§. 189.

Experimentis his (§ 183. – 188.) finitis interligavi arteriam musculi femoralis, & ligaturam infra discidi. Quo facto operis siphonis aëre in partem arteriæ, quæ ad musculum tendit, immisso, spasmus vehementior citiorque quam ante, eo puncto & vellicato (§. 185. – 187.), exorsus est, atque etiam diutius duravit.

§. 190.

Musculo iterum quiescente, aquam tepidam injeci, & iidem, quos supra narravi, effectus subsecuti sunt.

§. 191.

His denuo extinctis, injectionem aquæ tepidæ salæ reiteravi: quæ prioribus irritamentis longe majorem irritationem crebat. Musculus enim crebrius convellebatur, diutius contremiscebat, & multo serius quievit.

§. 192.

His experimentis peractis (§. 189. –

191.) alterum quoque musculum femoralem nudavi. Hic æque ac alter tremebat (§. 183.), & post aliquod temporis intervallum in priorem statum restitutus est. Hunc musculum propterea quoque nudavi, ne aqua salsa, quam alteri injeceram (§. 191.), experimenti, quod instituere parabam, effectum dubium reddere posset. Tremore musculi, ut antea dixi, nullo amplius apparente, cani caput abscidi, hoc consilio, ne dolor, anxietas, terror, ullo modo in experimentum influere posset. Jam, arteria hujus musculi disiecta, & aqua qua salsa tepida injecta, secuti sunt effectus, prioribus in altero musculo observatis, simillimi (§. 191.). Nam hic quoque spasmodice se contrahebat; constrictio paulatim remittebat; tum denuo augebatur; tandem contremiscebat, & non ante quam eodem temporis spatio peracto requiescere potuit.

§. 193.

Quotidiana nos experientia docet, homines

mines febri vehementer affectos, si tantum scyphum ori admovere, stare aut ambulare velint, confessim omnibus membris contremiscere. Cum itaque notum exploratumque habeamus, acrimoniam saltam, si arteriis musculi voluntati subjecti immittatur, fibris ejus tremorem inferre (§. 191. seq.): manifesto apparet ratio, cur febricitantium membra, simul ac uti eis velint, trepidare solent. Materia enim febrifICA acriS æque in musculos derivatur, eosque irritat, quam aqua falsa arteriis infusa.

§. 194.

At vereor, ne id, quod §. priori diximus, omnibus non arrideat, dicatque aliquis, tremorem membrorum, qui febrim non raro comitatur, non tam ab acrimonia, & vi materiæ febrilis irritante, quam a debilitate fibrarum muscularium procreari, cum tremorem hunc debilitate aucta augeri, robore vero & refecione incremente rursus extingui videamus. Eos, qui sic sentiunt, prævie scire volo,

volo, me infra demonstratum esse, tremoris æque ac debilitatis causam in materia febrili latere, ac proinde utramque augeri simul & minui debere.

§. 195.

Jam quoque elucescit, quomodo febrilis materiæ acrimonia spasmis originem præbere possit. Cum enim ad producendam constrictiōnem spasmadicam in musculis voluntariis motibus dicatis major irritatio necessaria sit, quam ad gignendum in his motum librantem & tremulum requiritur (§. 188.): patet, febrilis materiæ acrimoniam initio tantum tremorem membrorum, spasmos vero non ante, quam acrimonia ad certum usque gradum pervenerit, excitare posse.

§. 196.

Tremor & convulsiones febricitantium etiam tum oriri possunt, si cerebrum & nervi a febrili materia irritantur: de hoc vero suo loco dicetur, quia huc non pertinet.

§. 197.

§. 197.

Quum jam etiam de irritatione fibra-
rum muscularium motibus voluntariis
destinatarum, quantum ad propositum
spectat, aliquid dixerim: superest, ut,
quod de musculo femorali declaravi
(§. 183. seq.), de reliquis omnibus vo-
luntati servientibus verum esse commo-
neam. Nullus horum irritatione move-
tur, nisi sufficiens sit (§. 160. No. 1.);
& in omnibus librans motus ac tremulus
facilius, quam spasmodicus & convulsi-
vus producitur. Quicunque de universi-
tate hujus doctrinæ adhuc dubitat, applicet
hic rursus paragraphum 188. Si cui vero
hac ratione quoque satisfactum non fuerit,
adeat scripta summorum virorum, qui
de irritationis effectibus uberioris commen-
tati sunt.

§. 198.

Reliquum est, ut illas quoque fi-
bras, quæ mixtis motibus destinatæ ex
parte solum a voluntate dependent (§. 145.

No.

No. 3.) consideremus. Cum autem hæc priori utraque specie (§. 145. No. 1. & 2) compositæ esse videantur: certum est, has, æque ac universas fibras musculares, nunquam exercere motum, nisi sufficienter irritatione affectas (§. 160. No. 1.); irritamento vero sufficienter agente majores sese contrahendi motusque producendi conatus impendere; & eo quidem majores, quo validior irritatio (§. 160. No. 2.).

§. 199.

Hic pauca quædam e prioribus repetenda videntur. Vidimus (§ 185 seq.) una alterave fibra vellicata aut instrumento acuto puncta totum tamen musculum vehementius commoveri. Cur vero simul fibræ non irritatæ se contrahunt? Ratio hujus phænomeni facile intelligi potest. Si enim una tantum fibra pungendo aut vellicando irritata sese contrahit, necessario adjacentes & adhærentes trahit simul; hinc in has agit; hinc hæc, si sunt sensibiles, irritantur; hinc sese

con-

contrahunt. Adjacentes fibræ connexæ & irritatæ, dum sese contrahunt, iterum agunt in adjacentes, & sic continuatur irritatio fibrarum tamdiu, quamdiu fibras cohærentes offendit.

§. 200.

Ipsis oculis veritas allatæ §. priori demonstrationis in intestinis & corde, cuius vires vitales adeo imminutæ sunt, ut vix irritamentis adhuc commoveri possit, egregie deprehenditur. Fibræ enim, in quas agitur, sese primo contrahunt, sensim sensimque autem motus ad reliquas omnes propagatur (§. 199.).

§. 201.

Ceterum aliquando accidit, ut, dum fibræ quædam irritatæ se contrahunt, aliarum actio minuatur, aut deleatur. Vidi mus supra, intestinum in eo loco, ubi acrimonia sufficiente irritatur, se contrahere, & penitus claudere (§. 173.). Nam hoc loco motus vermicularis intestinorum simul desit, suffocatus est & amissus.

sus. Qui hunc & similes casus, ubi contractione quarundam fibrarum, motus reliquarum necessario minuitur aut plane extinguitur, doctrinæ hactenus demonstratæ opponere velit: hic, ut equidem spero, non veritatis cupidus, sed rixosus ab omnibus merito habebitur.

§. 202.

Experimenta hac Sectione allegata non mea sunt, sed pro magna parte ex scriptis aliorum medicorum repetita. E quibus tantummodo sumpsi, quantum ad sequentia facilius intelligenda necessarium existimavi. Plures qui super hac re observationes & experimenta desiderat, scripta illustr. virocul de Haller, D. Krausen, & van Doevert haud sine fructu leget; plurima enim præterea notatu dignissima complectuntur.



Sectio XV.

In qua ulterius demonstratur Fibram muscularē irritatam maiores adhibere conatus producendi motus, eo majores, quo validior irritatio, donec extre-
mum exerceat motum.

§. 203,

De iis, quæ hactenus (§. 162. seq.) de irritationis effectibus attuli, amicorum meorum quidam, medicus haud vulgaris doctrinæ, dubium mihi proposuit, quod responsione admodum dignum inihi videtur. Animalia, inquit, in quibus experimenta fecisti, alligata erant & viva dissecta (§. 162. — 165. & seq.). Quanto in hoc statu dolore, metu & angore premebantur ! Si vero putas, metum, angorem & cruciatum phænomena, quæ ex irritatione produci solent, mutare non posse,

posse, toto cœlo aberras. Ipse exemplum allegasti, in quo dolor a dissectis cutis & ventris musculis exortus, vermicularem intestinorum motum initio impeditiebat, postea vero saltem imminuebat (§. 171. — 174. seq.). Dolor autem non tantum varios a fibris pendentes motus imminuit, verum etiam subinde hinc excitantur. Dolor sufficiens motus febriles omnis generis, tremorem membrorum, imo etiam spasmos & convulsiones procreat. Ut ingenue loquar, ostendisti tantum effectus irritationis in corpore, metu, angore & dolore pleno, nequaquam vero, quid in corpore sano possit, monstrasti. D. Krausii commentarios legisti, cum hoc, quantum quidem ad hanc rem pertinet, plane consentio.

§. 204.

Quæ cum ita sint, demonstrandum adhuc est, motus fibrarum viribus vitalibus præditarum in illis quoque corporibus, quæ metu, angore & dolore parent,

rent, irritatione augeri; eo quidem magis, quo fortior irritatio, donec tandem, summam quam possunt, actionem peragunt (§. 160.).

§. 205.

Si exorto illo singulari sensu, quem mingendi stimulum vocamus, urina mittitur, sensus hic evacuatione facta evanescit, & post aliquod tempus denuo reddit.

§. 206.

A voluntate nostra & conatu dependet, an prius, quam singularis hic sensus oritur, qui ad mingendum nos cogit, urinam reddere velimus.

§. 207.

Præterea penes nos est potestas, urinam procul a corpore aut proprius ejaculandi.

§. 208.

Nihil quoque impedit, quominus inter mingendum, si placet, urinam cohibeamus.

§. 209.

§. 129.

Si prius, quam stimulat, urinam emitimus (§. 206.) fibræ vesicæ conatus nostro contractæ urinam exprimunt; si vero, prout lubitum est, tum procul, tum proprius mejimus (§. 207.): fibræ vesicæ tum fortius, tum languidius in urinam agunt. Hanc ob causam fibræ vesicæ ad eas, quæ voluntati obtemperant, annumeratæ sunt.

§. 210.

Porro cum mictum non modo ad certum tempus differre, verum etiam intermingendum urinam retinere possimus (§. 208.): sequitur fibras musculi sphincteris vesicæ a voluntati regi.

§. 211.

Eadem fere est ratio stimuli exonerandi alvum. Exeretis fæcibus per aliquod tempus nihil amplius sentimus; donec tandem iterum redeat (§. 205.).

§. 212.

§. 212.

Si alvum exoneramus: excrementa, adjuvante respiratione, majore aut minore vi exprimere possumus.

§. 213.

Si spiritum non retinemus, sed respirationem immutatam, servantes, alvum deponimus; contractio intestini recti excrementa provolvit, sphincterem ani superat, & stercus exprimit. Cum autem stercus in excretione, si velimus, minore aut majore vi propellere queamus (§. 212.), hos quoque motus medici voluntariis accensuerunt,

§. 214.

Etiam excrementa urgentia diu adhuc cohibere possumus. Itaque vis motrix sphincteris ani non minus a voluntate regitur, quam sphincter vesicæ urinalis (§. 210.)

§. 215.

Etsi autem verum sit, missa urina &

K

alvo

alvo exonerata, singularem illum sensum, quem mingendi & alvum dejiciendi stimulum vocamus, non ante, quam certo tempore peracto, reverti (§. 205. & 211.), & tum quoque urinam & excrementa adhuc per aliquod tempus cohiberi posse (§. 210. & 214.): tamen certum est, voluntariam hanc retentionem suos habere terminos, urinamque & excrementa nobis invitis tandem sibi viam facere & abscedere.

§. 216.

Ex his igitur patet mingendi & alvum exonerandi motus ad mistos esse referendos (§. 215.) sicut enim accelerare respirationem & per aliquod tempus retinere possumus (§. 145. No. 3.); id vero sine vitae periculo diutius fieri nequit: ita quoque mictum & alvi exoneracionem maturare quidem, & aliquamdiu cohibere valemus, diu tamen id fieri omnino non potest. Licet vero ita se res habeat: motus tamen ad mingendum & alvum dejiciendum necessarios, inter voluntarios

reci-

recipiam: & quidem ideo, quod ad hunc usque diem omnes medici id fecerunt.

§. 217.

Cum iam ostenderim rationes, cur motus urinam & sterCUS exprimentes voluntariis adnumerem (§. 216.): Quæritur: qui fit, ut urina excrementisque dejectis, stimulus mingendi & exonerandi alvum, evanescat? Cur postea sensim sensimque aucto, urina & excrementsa exprimuntur (§. 205. 211. & 215.)? Abjectis fæcibus ventris & urina missa, vesica & intestinum rectum evacuata sunt; tum vero paulatim urina in vesica, & in intestino recto sterCUS colligitur. Hæ partes igitur magis magisque extenduntur, & hæc tensio fibras earum irritat. Cum vero irrigatio nunquam sensationem excitet, nisi a satis valida actione producta (§. 51. seq.): necesse est, ut non nisi interjecto demum temporis intervallo sensatio abundantis urinæ & excrementorum redire possit. Quo facto suc-

cedente tempore magis magisque augetur, quia extensio vesicæ & intestini recti, ac proinde irritatio magis increscit (§. 152.). Si vero tandem irritatio tantopere aucta est, ut sphincteres ani & vesicæ, tametsi contrahere eos conemur, vi constringenti vesicæ & intestini recti non amplius resistere valeant; sterlus & urina necessario nobis invitis exprimuntur.

§. 218.

Eo casu, quo intestinum rectum stercore, & vesicæ fibræ urina extendebantur, irritatio pendebat a vi extendente mechanica; si vero loco ejus acrimonia agit: similis effectus appetet. Huc pertinet, quod intestinum rectum suppositorio, remediiis acribus composito, irritatum se contrahit, & contenta exprimit; eo quidem citius, quo acriora remedia suppositorio admista sunt, & quo validius hoc irritet. Homo quidam, qui urinam mittere solebat acrem, putridam, semper matulam in lecto habere cogebatur;

batur; stimulo mingendi continuo cruciatus, nunquam tantum urinæ, quantum cochlear capit, in hac tanta stranguria reddere poterat. Hic erat effectus urinæ acriis, vesicam irritantis. Remedia acria vesicæ injecta similem effectum produnt, ideo varia, quibus solutio calculi vesicæ sperari poterat, remedia adhibere non licet. Ejusmodi erat remedium Wedelli, de quo Programma ejus: *De menstruo calculum solvente non corrosivo, consuli poterit.*

§. 219.

Hactenus tantum de fibris muscularibus voluntati subjectis egi: nunc autem ad eas quoque, quæ voluntati non parent (§. 145. No. 1.), explicandas me accingam.

§. 220.

Multum sane cibi adsumere possumus, quin vomitus oriatur. Si vero justo majore copia cibi ventriculum replevimus; primo nausea, tum vomitus procreatur.

§. 221.

Fibræ ventriculi, motui ejus peristaltico inservientes, ad eas, quæ voluntati non obtemperant, pertinent (§. 145. No. 1.). Si vero magis magisque in comedendo persistimus; hæ fibræ magis magisque modo mechanico extensæ, irritantur (§. 152.). Cum autem initio neque nausea, neque vomitus sequatur, sed tum demum, cum nimio cibo ventriculum referserimus (§. 220.); manifestum est, irritationem mechanicam ventriculi, etiam in statu sano, neque sensationem neque motum excitare, nisi ad certum usque gradum augeatur; tum vero sensationem, quam nauseam vocamus, & deinde, irritatione sensim aucta, vomitum generari.

§. 222.

Quid vero, ventriculo non mechanice, sed adhibita quadam acrimonia irritato, eveniet?

§. 223.

§. 223.

Emetici nimis parva dosis neque nau-
seam neque vomitum gignit. Hoc sæpe
medicus non sine tædio experitur. Si
vero sufficienti quantitate datum fuerit,
primo nauseam, deinde vomitum pro-
ducit. Quo autem acriora sunt emetica,
eo vehementiorem quoque vomitum ex-
citant, nec admodum rari sunt casus, ubi
emeticum nimis acre justo majori doſi
datum vomitum mortalem adtulerit.

§. 224.

Ex irritatione quoque ventriculi ab
acrimonia orta, etiam in statu sano, ne-
que sensatio nauseæ, neque vomitus naſ-
citur, nisi sufficiens sit; utrumque vero,
actione irritante satis forti, efficitur; tu n
verò, quo acrius irritamentum (§. 223.),
eo vehementior quoque ventriculi con-
tractio, & pertinacior vomitus generatur.

§. 225.

Olei cinnamomi una gutta data, pul-
sus

sus arteriarum immutatus manet; si vero quantitate sufficienti præbetur, pulsus illico fit concitator & fortior. Aucta dosi, pulsus adhuc vehementior evadit; tandem dosi modum excedente, pulsus oritur vehementissimus, & cui vix ille, qui in febri ardente contingit, comparari potest.

§. 226.

Si ejusmodi experimentis rite uti, ea-que ad acrimoniam febrilis genera hic ap-PLICARE vellem; facile demonstrare pos-sem, quod de fibris ventriculi ostendi (§. 223. – 225.), id de omnibus fibris muscularibus, quorum motus a volun-tate non diriguntur, necessario valere (§. 180.). Reliqua, quæ super hac re dicenda mihi proposui, aptiori occasione reservo.

§. 227.

Quod hic de fibris voluntati subjectis, & de iis, quæ voluntati non parent, ostendi: id de illis quoque, quorum mix-ti sunt motus, dicendum (§. 198.).

§. 228.

§. 228.

Experimenta allata, in quibus irritatio sufficiens, fibras voluntati parentes non minus, quam quæ ab ea non pendent, ad vehementiorem actionem compulit, & eo quidem vehementiorem, quo validior irritatio erat (§. 217. & seq.), attentius considerantes, examinantes & judicantes, inveniemus, neque metum neque angorem aut dolorem has observationes turbasse (§. 204.). Si his adhuc addamus, cor e corpore exsecatum (§. 166.), intestina exempta (§. 174.) musculum femorale canis, cui caput amputatum (§. 192.); partes, in quibus nec dolor, nec anxietas, nec sensatio ulla locum habere poterant, irritatione modica nihil passas esse; sufficiente vero commotas, & quidem tanto vehementius, quo fortior irritatio erat (§ 166, 176. & 179.): facile quilibet, ut opinor, concedet, irritationem nimis levem etiam in statu sano, in omnibus & singulis fibris muscularibus, effectum non producere; sufficien-

cientem vero vires earum a vita pendentes augere, eo quidem magis, quo validius irritantur; donec tantopere intendenterint vires suas, ut eas amplius augere non possint. Ut amplius non possint, inquam: vir enim, qui extremas vires intenderit, ulterius eas intendere frustra conabitur.

§. 229.

Lector fortasse jam interrogabit: quomodo vires hæ vitales in corpore vivo nascuntur? Num nervi huc aliquid conferant, & quantum, sequens sectio docebit.



Sectio XVI.

Vires vitales fibrarum muscularium a nervis originem ducunt.

§. 230.

Priusquam Ill. De Haller de irritabilitate scripserat, medici omnes audacter affirmabant, vires vitales fibrarum muscularium a nervis oriri. Ordo requirit, ut primo rationes, quibus freti sic universi sentiebant, ob oculos ponam.

§. 231.

Brachia & crura pro libitu movere possumus (§. 145. No. 2.). Si vero nervus ad unam harum partium pertinens, obligatur aut comprimitur: statim tanta paralysis inducitur, ut movere eam nullo modo queamus. Sed nervo rursus a compressione liberato, motus reddit.

§. 232.

§. 232.

Aliud experimentum huc spectans. Si canem aut aliam quamcunque bestiam, tam valide in dorso percutias, ut medulla spinalis, maximus ille corporis nervus, comprimatur, aut sufficienter laedatur: subito partes posteriores, quæ a medulla spinali nervos accipiunt, paralyſi afficiuntur, & canis eas, pedibus tantum anterioribus incedens, misere trahit.

§. 233.

Aliud experimentum. In quibusdam locis boves non maectantur iectu in frontem, sed lanio parvum cultellum nuchæ eorum intrudens medullam spinalem prope cerebrum abſcindit. Eo ipso momento bos, velut tonitru percussus, humili proternitur, & non modo pedes ejus posteriores, sed & anteriores sensu omni ac motu privantur.

§. 234.

Ex his igitur experimentis (§. 231. 232. seq.) medici concludebant: Ergo virium

virium vitalium muscularum origo in nervis quærenda. Si enim, addebat, hoc non ita se haberet; partes non statim abscisso (§. 233.) aut compressso (§. 232.) nervo suo momento citius adeo debilitarentur; nec fieri posset, ut motus partium, nervo a compressione liberato, resuscitetur (§. 231.).

§. 235.

Hac vero consequentia (§. 234.) Ill. D. de Haller nequaquam acquiescere potuit. Verum non est, inquit, vires vitales fibrarum muscularium extingui, simulac nervus, a quo ramos accipiunt, resecatur; sed experientia teste fibræ vires vitales adhuc per aliquod tempus conservant. Capite animalis amputato, certe omnes nervi a cerebro ad musculos dispersi, simul abscissi sunt; hoc tamen non obstat, quominus his musculis adhuc aliquamdiu irritatione motus induci queat. Idem quoque in pedibus posterioribus canum, quibus spina dorsi fracta, & in

mus-

musculis boviuni, quorum medulla spina-
 lis prope caput abscissa est, locum habet.
 Partes serpentis disiectæ, quas pueri con-
 templabantur, diu adhuc se movebant;
 & fibræ harum musculares viribus vitali-
 bus nondum carebant (§. 131. seq.).
Concisa & a corpore separata ranarum
 crura, quæ coquus jam apparare volebat,
 per plures horas adhuc trementia, & spas-
 modice se contrahentia, sæpius vidi.
Truncus columbae, cui cum capite om-
 nes simul nervi ex eo orti abscissi sunt,
 vehementes adhuc spasmos patitur, &
 diu adhuc alarum ictus, crurumque mo-
 tus conspiciuntur. Observationes hæ ad
 fibras voluntati obnoxias pertinent; nec
 tamen illarum, quæ voluntatis imperio
 non reguntur, diversa est ratio. **C**or
 ranæ & anguillæ, licet e corpore exsec-
 tum (§. 166.), per multas adhuc horas
 pulsat; & quamvis animalium sanguine
 calido instrutorum virium vitalium cor-
 dis non tanta sit firmitas; tamen non
 illico deletur. **C**um motu vermiculari in-
 testi-

testinorum (§. 174.) & peristaltico ventriculi haud aliter comparatum est.

§. 236.

Cum itaque luce meridiana clarus elucescat, musculos universos vires vitales sibi proprias aliquamdiu adhuc retinere, licet nervus ad eos proficiscens resectus fuerit (§. 235.); queritur: quænam est ratio, cur canis, læsa dorsi spina, confessim partibus posterioribus paralyticus evasit (§. 232.)? &, cur bos, cui medulla spinalis prope cerebrum discissa, subito humi prolapsus est (§. 233.)? Ad hæc facile responderi poterit.

§. 237.

Non est dubium, quin voluntate nostra magnam muscularum copiam pro libitu movere queamus. Si mihi placet, brachia moventur, pedes gradiuntur; si placet, musculos tantopere intendo, ut erectus consistam (§. 231.). Voluntas autem in cerebro gignitur. Ut ergo fibræ musculares voluntate agitentur; necesse est, ut

voluntatis effectus ad fibras movendas derivetur. Ope nervorum autem e cerebro ad singulas fibras propagatorum effectus voluntatis eo traducuntur (§. 75. seq.). Ergo nervo cerebrum inter & musculum discesso, voluntatis effectus e cerebro ad musculum hunc transferri, & motum ibi producere non potest, sed musculus necessario sit paralyticus, etsi viribus vitalibus adhuc integris fruatur. Hinc canis, cui dorsi spina perfracta, musculos femorales non amplius moveare poterat, & partes ejus posteriores, etiam si viribus vitalibus non destitutae, sensu motuque privabantur (§. 232.). Et hoc ipso momento fieri debebat, quia omnis inter cerebrum & fibras muscularares communio plane cessabat. Idem bovi contigit. Iste enim, ut erectus staret, necesse erat, voluntatis imperio fibras ejus muscularares huc facientes adeo intendi, ut corpus erectum sustentari posset. Cum autem medulla spinalis non procul a cerebro abscederetur: voluntas in hoc generata

mus-

musculos, ad standum necessarios, non amplius intendere poterat; statim, licet integris viribus vitalibus, musculi torpere, & bos humi prolabi debebat (§. 233.)

§. 238.

Jam quoque facile intelligitur, cur subito nervo sufficienter compresso, parti, ad quam pertinet, subito paralysis inducatur; cur deinde vi premente remota (§. 231.) mobilitas membra revertatur. Nervo enim sufficienter compresso, mutatio, voluntate in cerebro excitata, non amplius per illum ad partem movendam deferri potest; sed, compressione sublata, hæc facultas denuo restituitur.

§. 239.

His omnibus (§. 237. seq.) probe perspectis Ill. de Haller contendebat, nervos ad muscularum motus nihil conferre, præterquam quod voluntatis effectum e cerebro ad hos traducerent; vires vero

vitales facultatem iis propriam esse, a nervis non pendentem.

§. 240.

Prima Halleri sententia, scilicet ope nervorum voluntatis effectus ad musculos movendos deferri, fundamentis tam firmis nititur, ut non facile labefactari queant. Si vero ex enarratis experimentis concludebat: Ergo facultas fibra rum ex irritatione motum suscipiendi muscularis propria est, nec nervi huc quidquam contribuunt (§. 239.); necesse est, ut rem ulterius inquiramus.

§. 241.

Nihil vero huic Halleri argumentationi objici posset (§. 240.), si modo demonstratum foret, nervi discissi partem musculari adhuc inhärentem nullum amplius motum producere posse. Nam si hæc pars musculi facultate vires vitales fibra rum excitandi, producendi atque augendi adhuc gauderet; sane consummatum esset de Halleri opinione. Igitur necessarium judico accuratius investigare I.)

1.) Num nervi integri cum cerebro
adhuc connexi vires vitales fibrarum
excitare queant, deinde

2.) An nervi discissi pars musculo in-
nata, facultatem hanc adhuc possi-
deat, aut dissectione anniserit.

De his naturam ipsam percontemur.

§. 242.

Si nervus integer in fibras musculares
sive voluntarias sive spontaneas, distribu-
tus sufficienter irritatur: ne minima qui-
dem mutatio in eo deprehenditur; fibræ
vero musculares, quibus ramos suos mittit,
non minus, imo magis irritantur. ac si im-
mediate afficerentur; & hoc casu perinde
est, an nervus proprio cerebrum, in me-
dio, in ultimis ramulis, aut ubicunque
demum, irritetur.

§. 243.

Ex hoc patet, fibras musculares nervo,
qui ramos illis tribuit, irritato, moveri
(§. 242.).

§. 244.

Si jam ejusmodi nervum dissecamus, & partem ramos musculo tribuentem sufficienter irritamus, nullus quidem in parte irritata motus sequitur; fibris vero muscularibus, quæ ramos ab eo accipiunt, non minus inducitur motus, quam ante nervo illæso (§. 242.).

§. 245.

Igitur non tantum integris, verum etiam discissis nervis facultas inest, vires vitales fibrarum muscularium excitandi, augendi & confirmandi (§. 242. seq.).

§. 246.

Jam quoque patet, qua tandem ratione cor, intestina, & reliquæ fibræ musculares, licet e corpore exemptæ, vires tamen vitales adhuc aliquamdiu retineant, & irritatione moveri queant (§. 166. – 170. & 174. – 179.). Cum enim vel acutissimo instrumento in corpore sano nullum musculum pungere possimus, quin dolores

res oriantur: ita & ne minima quidem particula eorum vulnerari potest, quin nervus laedatur. Jam vero cum nervi irritati sive integri sive discissi, fibras musculares, quibuscum connectuntur, commoveant (§. 245.): manifesta est ratio, cur fibræ musculares, immedieate irritatæ, non modo in corpore vivo, sed etiam, postquam ab aliis partibus separatae sunt, adhuc per aliquod tempus motum producere valeant (§. 162. seq.).

§. 247.

Nunc etiam clarius patet, quam antea, cur una aut altera fibra irritata, puncta aut vellicata (§. 199.), toti musculo motus inferatur. Nam si hoc modo unius tantum fibræ muscularis nervus sufficienter irritatur, & hic nervus fibram musculariem movet (§. 246.): hæc fibras vicinas cohærentes trahens atque convellens nervos earum irritat. Ex quo fit, ut istæ quoque fibræ musculares se moveant (§. 245.), quod tamdiu continuetur, ne-

cessit est, quamdiu fibræ nervis præditæ
sunt continuæ & cohærentes.


§. 248.

Etsi jam clare demonstraverim, quod
nervi fibrarum muscularium vires vitales
excitent atque producant (§. 242. seq.);
tamen libenter fateor, me plus quam di-
midium hujus demonstrationis honorem
Ill. Hallero debere. Propius ad verita-
tem accessit, quicunque demonstrationis
hucusque ab omnibus receptæ falsitatem
animadvertis. Hoc contigit Hallero,
ostendenti, quam tenuibus argumentis
fundata esset sententia prædecessoribus suis
probata (§. 230). Et non hoc tantum,
sed ipsam quoque, qua demonstratio mea
nititur, observationem, Hallero debemus.
Nam musculos irritatione nervi dissecti
adhuc moveri (§. 244), ipse primus
nos docuit.

§. 249.

Ceterum cel. Krause in notis ad *Halleri Tractatum de sensibilibus & irritali- bus*

bus corporis humani partibus §. XXXVIII.
 aliam de facultate nervorum vires vitales
 fibrarum muscularium excitandi, demon-
 strationem jam dudum tradidit. Cel. Un-
 zerus quoque, vir sagacissimus, præclara-
 nos super hac re demonstratione dona-
 vit. Utraque jam diu typis divulgata
 est. Ideoque viros Celebr. hoc casu auc-
 tores habere censeor, licet demonstratio
 supra proposita jam ante hos quindecim
 annos absolute fuerit, & multorum in
 manibus versaretur. Merito igitur delere
 eam potuisse, nisi ad seriem hujus, pa-
 riter jam ante multos annos absolute dis-
 sertationis, pertineret.



Sectio XVII.

Doctrina de Spiritibus animalibus nullo fundamento nixa hypothesis est.

§. 250.

Cum jam persuasum habeamus, vires vitales fibrarum muscularium a nervis procreari (§. 245.): reliquum est, ut, qua ratione id fiat, inquiramus. Dixi jam supra, maiores nostros ad opinionem hanc intellectu faciliorem reddendam commentitos esse materiam subtilissimam, *Spiritus animales* dictam, quæ nervos permeans, fibras musculares commovere (§. 134. seq.).

§. 251.

E. G. Brachio voluntate moto, dicebant spiritus animales, a voluntate in cerebro motos, celeriter per nervos ad brachium manare, motumque ibi producere.

cere. Sic spasmi & convulsiones, secundum illos, ex irregulari spirituum influxu nascebantur. Plura qui cupiet, scripta eorum, qui hac de re latius egerunt, pervolvat.

§. 252.

Sed quid de his spiritibus animalibus censemus? Fabula haec non majorem fidem meretur, quam commenta de sagis a perturbata phantasia progenita. Atque hoc extra omnem dubitationis aleam possum est, cum irritatione nervi dissecti musculi ramos ab eo accipientes moveri adhuc possint (§. 244.). Caput enim amputatum ad irritatos trunci nervos (§. 192.) aut musculos spiritus animales derivare, fibrasque musculares ad motum incitare, nemo erit, qui serio credat. Itaque fibrarum muscularium vires vitales non a spiritibus animalibus, sed a nervis oriuntur.

§. 253.

Quid vero, si quis objiciat, in dissecto
nervo

nervo relictos adhuc esse spiritus animales, motum fibrarum producentes? Fieri non potest, ut assertio hæc rite demonstretur. Auctoritas non est demonstratio. Præterea respondendum foret ad quæstionem: Quomodo, quæso, dissecto in nervo relicti spiritus animales irritatione ad motus exercendos incitantur? Num fibris nervosis? Atqui tunc non spiritus animales, sed fibræ nervosæ musculos origetenus movent, quam sententiam equidem non facile damnaverim. Si satis otii mihi supereffet, de fibris nervosis, & facultate earum non modo sensationes, sed vires etiam motrices celerrime propagandi, latius agere, varias haud exigui momenti observationes hic subjungere possem.

§. 254.


Medici, creatis spiritibus animalibus, horumque existentia naturæ semper sapientiori argumentando obtrusa (§. 134. seq.): phænomena cuncta, in quibus ac-

tio-

tionem suam vires vitales exercebant, harum ope explicare nitebantur. Si cor irritatum validius commoveri videbant, non irritationi, non viribus vitalibus tribuebant (sic enim parum erudite loqui putassent); sed cor *stimulari* dicebant; *stimulo* autem majorem spirituum animalium influxum subsequi, ideoque cor violentius moveri. Talis erat medicorum ratiocinatio, quia supervacaneum esse credabant, de auctis & intensis fibrarum muscularium viribus vitalibus differere, postquam jam de majore spirituum animalium in has fibras actione locuti essent. Hæc omnia ante oculos habere debet, qui Baglivium de *Fibra motrice* aliosque hujus & præterlapsi sæculi medicos consulere velit; & sic non sine fructu legentur, quia inter spiritus animales hinc inde egregiæ veritates, quæ ad vires vitales & irritationis effectus faciunt, absconditæ jacent.

Siquis jam probe intellexerit, quod hujus sectionis titulo indicatum est, sci licet:

licet : doctrinam de spiritibus animalibus ,
aut si horum in locum materiam electricam
aut magneticam admittas , hypothese
sin esse nullo fundamento firmatam ; ob-
secro lectorem propriæ ejus utilitatis cau-
sa , ut , cum alios scriptores legit , veri-
tatis hujus nunquam obliviscatur ; & quo-
tiescunque ejusmodi dogmata offenderit ,
in margine adnotet q. e. a.



Sectio XVIII.

Facultas partium , irritatione motum producendi , Mobilitas earum , Irritabilitas & Agilitas vocari potest.

§. 255.

Actio in partes sensibiles vivas dicitur irritatio (§. 148.) In hac tantum actione irritatio consistit. Quodsi jam irritationem hanc velut causam occasionalem consideremus , & effectus ejus investigare studeamus : hos , irritatione sufficiente , triplices esse reperiemus , nimirum vel sensatio tantum aut motus , aut motus & sensatio simul irritationem sequuntur (§. 157. — 160.). Ne quis vero inanibus me objectionibus fatiger , moneo , me hic secundum physiologiæ præcepta loqui.

§. 256.

Irritationem in iis tantum partibus sensibili-

filibus, quæ fibris muscularibus præditæ sunt, motum excitare posse, jam supra vidimus (§. 160.). Experientia autem teste, non omnes partes fibris muscularibus instructæ irritatione æque facile mouentur. Aliæ exiguam, aliæ validiorem, aliæ iterum validiorem irritationem requirunt. Irritatio lenis motum cordis adauget (§. 162.); at musculi voluntariis motibus destinati multo validiorem desiderant (§. 184. seq.). Contra venæ majores irritatione mechanica commoveri nequeunt, sed spiritu acri contingi debent. Medici, ad designandam variam partium, ex irritatione motus producendi facultatem, variis usi sunt vocabulis. Si Sydenhamum *de Ataxia, de Orgasmo spirituum & alios cum illo de nimio spirituum influxu, de spirituum influxu perturbato &c.* audiamus, multas sane notatu dignas observationes, huc facientes, hinc inde dispersas videbimus, quod jam (§. 254.) monui. Præterea apud Bagliviū in *Tractatu de fibra motrice, &*
apud

apud alios nonnullos hinc inde occurrunt vocabula: *fibra mobilis*, *irritabilis*, *agilis*, *fibra mobilior*, *irritabilior*, *agilior*. Hisce tribus terminis technicis diversa partium harumque fibrarum muscularium facultas adhibita irritatione motum producendi, significari potest; hi igitur termini: *Mobilitas*, *Irritabilitas*, *Agilitas* synonymi sunt, quos missis ceteris retinebo; iisque singulis partium harumque fibrarum ex irritatione motus suscipiendi facultatem indicabo. Voce *Mobilitas* utar in honorem venerandi Praeceptoris mei *de Gorter*, cui præ ceteris tantopere arrisit, ut in *Compendio Medicinæ* suo sectioni ad hanc rem pertinenti titulum: *De Mobilitate solidorum inscripserit*. Vox *Irritabilitas* utpote *Cel. Hallero* pro aliis probata, locum suum tuebitur. Neque tamen propterea vocem *Agilitas fibrarum* exulare jubebo; quin potius eam velut rei exprimendæ aptissimam servabo. Quod autem huic termino præ reliquis palma debeatur, apparebit, simulac difficultates

voci-

vocibus *Mobilitas* & *Irritabilitas* adhærentes ostendero.

§. 257.

Quid igitur reprehendendum in voce *Mobilitas*? Si de facultate fibrarum irritatione sese movendi loquimur, nihil aliud intelligimus, quam fibras vires motrices sibi proprias exercere, non autem velut baculum ad percutiendum sublatum vias externa moveri. Terminus igitur, facultatem fibrarum irritatione sese movendi apte designaturus, sic constitutus esse debet, ut ideam motus proprii fibræ muscularis in animo excitare queat. Verbum vero *Mobilitas* non tantum in vita communi, sed etiam in medicina ut plurimum de illis rebus usurpatur, quæ loco moveri possunt, vires vero motrices proprias non exercent. Sic usu quotidiano & forensi bona alia vocantur mobilia alia immobilia; sic medicus, ossibus ope juncturæ connexis, mobilitatem, concretis vero immobilitatem tribnit. Verum de fibris

fibris muscularibus, quibus ossa moventur, medici non dicunt, quod sint mobiles, aut quod gaudeant mobilitate: sed quod vires exerceant motrices, moveantque. Itaque vocabulum *Mobilitas* ad motum fibrarum, qui irritatione induciatque augeri potest, exprimendum satis convenit.

§. 258.

Quid autem de *Irritabilitatis* vocabulo statuendum? Non magis rei convenit ac *Mobilitas*. Quid de hac re sentiam, Lectori ingenue ac paulo latius exponam. Antequam *Hallerus* de irritabilitate scriperat, quidquid irritari potest, irritabile vocabatur, sicut esculenta, quæcunque comedи, palpabilia, quæcunque contrectari possunt, appellamus. Illis igitur temporibus irritabilitas partis nihil aliud significabat, nisi irritabilem ejus conditionem. Nervi, cutis, oculi irritabiles dicebantur. Systema nervorum *nimirum irritabile* &c. tum temporis inter causas morborum referebatur. Deinde novum quid & hac-

tenus inauditum se invenisse Hallerus credebat, scilicet fibrarum muscularium irritatione se movendi facultatem ipsis esse propriam, nec a nervo pendere (§. 239.). Suspiciatus, facultatem hanc fibrarum muscularium vi propria se movendi a glutine quodam produci, irritabilitatem eam nuncupabat. Jam cutis, oculi, nervi non amplius irritabiles erant, quia hæ partes irritatione affectæ non, sicut fibræ musculares sensibiliter se movent. Utinam aliud vocabulum elegisset! cum enim multi præcas ideas pertinaciter servarent; multi vero Hallerum sectantes ideas suas refingerent: ingens saepe confusio orta est, quæ facili negotio evitari potuisset. Verum præterlapsis aliquot annis demonstrabatur, facultatem fibrarum muscularium actionem exercendi magna ex parte a nervis pendere (§. 242. seq.). Igitur facultate fibrarum propria vi se movendi in natura humana non amplius existente; Irritabilitatis terminus, quo hæc facultas haec tenus insignita fuit,

peni-

penitus exulare debuisset; præsertim, cum haec tenus duplicein sensum involverit. Terminus tamen hic technicus suo loco, nihil obstante ambiguitate, remansit. Nam hodie adhuc chirurgi dicunt, oculum a rebus acribus illapsis, cutim inhærente festuca, nervum acu puncatum irritari: & hodie adhuc illi, qui Illust. Halleri ideam receperunt, his partibus ullam inesse irritabilitatem negant. Hæc sunt, propter quæ vocem *Irritabilitas* ut minus aptam rejiciendam esse arbitror. Multos vidi, qui *Mobilitatis* vocabulo magis gaudebant; licet hoc quoque rei non plane conveniat, causamque ab effectu non satis distinguat.

§. 259.

Nunc de tertio synonymo *Agilitas*. Si irritationem nihil aliud esse credimus, nisi actionem in partem sensibilem (§. 148.); si irritatione partium fibris muscularibus destitutarum sensibilitatem tantum augeri (§. 157.); reliquarum vero, quæ fibris muscularibus præeditæ sunt, vim motri-

cem simul excitari dicimus (§. 158. seq.): naturam sequimur, effectumque a causa rite discernimus. Porro si facultatem fibrarum, ex irritatione motum suscipiendi, *Agilitatem* vocamus; vox *Irritatio* causam, *Agilitas* vero effectum ab hac causa in fibris muscularibus vi vitali præditis exortum denotat. Vox igitur *Agilitas* præferenda:

- 1.) Quia causam ab effectu rite secernit;
- 2.) Nullum ambiguati locum relinquit.
- 3.) Rei adeo congruit, ut quilibet etiam sine prævia explicatione facile intelligere posset, si de fibrarum muscularium agilitate sermo esset. Nam si pueri illi (§. 131.) frustra serpentis adhuc per aliquod tempus sese movere videntes, ideoque vitam iis adhuc inesse affirmantes, dixissent, hæc frusta propter *Agilitatem* nondum extinctam sese move; nemo, opinor, tam stupidus fuisset, qui, quid hac voce sibi voluerint, non statim mente assentus fuisset. Siquis diceret: Hæc fibra agilior est illa:

illa: summa, meo quidem arbitrio, facilitate & claritate sententiam suam expressit.

4.) Vocabula *Irritabilis* & *Irritabilitas* hoc casu studiosorum in commodum pristinis circumscribi limitibus, consultum foret.

§. 260.

At fortasse aliquis ex me quæreret: Si eo casu, quo fibrarum muscularium facultas sese propter vires vitales movendi, motumque istum accedente irritatione augendi, exprimenda est, vocabulum *Agilitas* alteri *Irritabilitas* tibi præferendum videtur (§. 259.), cur in fronte libelli titulum: *de Sensibilitate & Irritabilitate partium* posuisti: quin potius eum *de Sensibilitate & Agilitate fibrarum motricium* inscripsisti? Hoc, ut verum fatear, ideo factum est, quod persuasum habui, rempublicam litterariam levis peccati, reverentia erga venerandum D. de Haller commissi, mihi facilius veniam daturam,

quam si hoc casu a tanti viri sententia
recessissem.

§. 261.

Porro grati animi recordatio, quantum e
scriptis Ill. de Haller fructum ceperim,
quantumque juventutem meam in scientia
medica acquirenda desudantem Ill. de Gor
ter adjuverit, me impulit, ut *Irritabili
tas & Mobilitatis* vocabula per totum
hunc librum retinuerim, easque in iis lo
cis præcipue usurpaverim, ubi absque om
ni ambiguitate fieri potuit. Nihilominus
lectorem, ne, quod jam supra dixi, obli
viscatur, rogo: nimirum, *Mobilitas*, *Irri
tabilitas*, *Agilitas* fibrarum muscularium
hic terminos synonymos esse, semperque
eandem significationem habituros (§. 256.).

Sectio XIX.

Mobilitas, Irritabilitas seu Agilitas fibrarum muscularium in statu sano certo ordini adstricta est; insignes vero mutationes subire, augeri & diminui potest.

§. 262.

Quam varia est variarum partium fibris muscularibus præditarum sensibilitas (§. 89. seq.); tam diversa quoque earum agilitas est. Ut irritatio motum producat, aliis actio tenuis sufficit, aliæ vero validiorem requirunt: aliæ contra ne hac quidem ullo modo moveri possunt. Exempla aliquot, quibus hoc firmatur, in sectione sexta jam proposui; quorum postea adhuc major copia occurret.

§. 263.

Corpora hominum, quod ad essentiam attinet, pari modo constructa sunt (§. 94.);
quam

quare ratio, cur divina sapientia in statu sano diversis partibus diversam quoque irritabilitatem aut agilitatem dederit (§. 262.), in unoquoque homine eadem esse debet. Ordo igitur, quo mobilitatis partium gradus in uno homine sibi invicem succedunt, in ceteris omnibus obtinere debet.

§. 264.

Etiam si autem varia partium Agilitas corporis humani in statu sano certo ordini subiecta sit (§. 263.): magnas tamen in tanta morborum multitudine mutaciones patitur; adeo ut mirum in modum in qualibet parte augeri & minui possit, sicque ordo naturalis perturbetur. Hoc exemplis nonnullis illustrabo.

§. 265.

Mulierem maniacam valde voracem curandam suscepi. Emeticum necessarium ducens quatuor grana tartari emetici juscule clam immixta præbui. His sine effectu manentibus vesperi denuo grana octo eodem modo dedi. Neque hæc quid

quidquam proficiebant. Sequentibus diebus singulis, præcedente dosi nihil efficiente, pondus duplicabam, donec tandem ad sexaginta grana increvit, quibus viginti milites ad vomendum cogere potuisssem; sed apud hanc mulierem tam ingens dosis nullam mutationem procreavit, imo ne nauseam quidem produxit. Alia quoque emetica frustra tentata. Quis credat, sensibilitatem & agilitatem ventriculi adeo hebetari posse, ut emetica tanta dosi præbita neque nauseam, neque motum contrahentem fibrarum ventriculi, & vomitum inducere valeant? Sic tamen se res habebat. Tandem fames continua brevi hanc fæminam mente & corpore sanam reddidit.

§. 266.

At sensibilitas & irritabilitas ventriculi sicut diminui, ita & magnopere augeri potest. Cuivis notum est, multorum hominum ventriculum sanitate bona gaudientium libram panis, libram carnis, duo

cere-

cerevisiæ sextarios capere, quin nau-
sea, nedum vomitus, oriatur. Violentam
hanc fibrarum suarum extensionem, a
dicta cibi & potus quantitate ortam, nunc
sine molestia perfert. At quanta ejus in
variis morbis irritabilitas, quanta sensibi-
litas? Non raro cochleare aquæ, imo
adhuc minus, nauseæ sensum, imo vo-
mitum inducere potest. Quis credat,
inquam, nisi ab ipsa natura edoctus, tam
stupendam irritabilitatis ac sensititatis in-
ventriculo mutationem?

§. 267.

Exempla (§. 265. & seq.) adducta ven-
triculum tantum spectant; similia de aliis
partibus addere non vacat. Lecti ægro-
torum medicis quotidie talia suppedita-
bunt, præcipue in iis morbis, quos a
nimia systematis nervorum sensititatem
ortos esse asseverant.



Sectio XX.

In qua disquiritur, quisnam nexus & proportio intersit sensibilitatem inter & mobilitatem partium.

§. 268.

Cum jam probe intelligamus partes agilitate multum inter se differre (§. 262.), adeo ut ad producendum in hac vel illa parte motum variis irritationis gradus requirantur (§. 265. seq.); quæritur, quare ratione id fiat. Forte in majore aut minore partium sensibilitate causa latet, ita ut, quo major partis sensibilitas, eo maior quoque agilis, & quo minor sensibilitas, eo minor quoque agilis sit, oporteat.

§. 269.

Sed si id, quod in superioribus de mobilitatis causa ostendimus (§. 160.), in
ani-

animum revocemus, conjectura hæc statim collabitur. Mobilitas enim non tantum a nervis pendet, verum etiam a fibris muscularibus, quæ nervorum opero moventur; ita quidem, ut quantacunque demum sit partis sensibilitas, si fibris muscularibus caret, nullo modo sese movere possit (§. 157.). Hinc sit, ut dens, oculus, auris interna, festuca digito sub ungue infixa gravissimum excitare dolorem valeant, quin vel minimus motus sensibilis in his partibus simul oriatur.

§. 270.

Sed forsitan verum est, variam partium mobilitatem a varia earum sensibilitate pendere, si hæc partes muscularibus fibris instruetæ sint. Verum hanc quoque innam esse conjecturam haud difficulter probari poterit. Cor enim in tanta mobilitate tam exigua gaudet sensibilitate, ut irritamentum pulsuum ejus maxime accelerans, ne minimam quidem sensationem pariat. Hoc non tantum observationes

cer-

certissimæ in hominibus diversis febrium speciebus laborantibus affirmant, sed etiam effectus assumtorum aromatum. Contra si ventriculus paulatim resoluto emetico, aut nimia cibi quantitate ingesta irritatur: primo sensus, quem nauseam vocare solemus, exoritur, qua ad certum gradum aucta, tandem vomitus excitatur. Cum igitur in corde mobilitas sensibilitate sit major, in ventriculo autem sensibilitas mobilitatem superet: non est dubium, quin varia partium fibris muscularibus praeditarum agilitas, ab earum sensibilitate minime dependeat (§. 268.).

§. 271.

Jam quoque patet, cur sensibilitas & agilitas partium fibris muscularibus instructarum sibi proportionatae esse nequeant. Si hoc enim extra dubitationis aleam positum esset, necesse foret, ut partibus omnibus fibris muscularibus praeditis eandem sensibilitatem habentibus, eadem quoque esset agilitas. Scimus autem partes

partes tum meris fibris muscularibus compositas, tum cum aliis conjunctas esse, quæ motui earum resistunt, easque, ut se moveant, secum trahere debent. Unica hæc circumstantia jam efficeret, ut diversæ partes fibris muscularibus instructæ, etiamsi pari sensitatis gradu fruantur, irritatæ tamen non pari facilitate motus producere valerent. Si porro consideremus, quam diversus sit harum partium mechanismus, quantumque differant inter se dispositione & ordine fibrarum; si ad impedimenta multifaria, quæ viribus his motricibus obesse solent, respiciamus: adhuc clarius erit ratio, cur sensititas earum agilitati proportionata esse nequeat.

§. 272.

Sic quoque facile intelligitur, qui fiat, ut aliquando Mobilitas, aliquando Sensibilitas prævaleat (§. 270.). Fingamus partem fibris muscularibus compositam; cuius Sensibilitas & Mobilitas adhibito irri-tamento æque facile moveatur. Tum partem pari quidem sensititate, fibris

vero

vero muscularibus longe pluribus prædictam cogitemus ; necesse est , ut in hac parte mobilitas sensibilitatem vincat , & irritatio motum facilius quam sensationem pariat . Si jam priorem partem , sed paucioribus cum fibris cogitamus ; irritatione sensim orta & aucta sensatio citius quam motus necessario producitur .

§. 273.

Quamvis autem verum sit sensibilitatem & agilitatem , si ad diversas corporis humani partes simul respicimus , nullam inter se affinitatem habere (§. 269. seq); tamen , si singulas partes seorsim , nec comparando cum reliquis , contemplamur , longe aliter se res habet . Nervi enim non minus sensibilitatem (§. 70.) quam vires vitales fibrarum muscularium generant (§. 244. seq.); & irritatio tam sensibilitatem , quam vires vitales fibrarum irritatione affectarum auget , & eo magis , quo validius irritamentum (§. 157. - 160.).

§. 274.

§. 274.

Cel. Krüger nunc beatus in secunda parte *Physices* suæ litteris majusculis expressum proposuit aphorismum: „*Cui libet sensationi motum succedere proportionalem*“, ac pro gravissimo totius medicinæ haberri voluit. Medici complures eruditi summo studio refutare eum conati sunt. Sed me judice hoc tantum vitio laborabat, quod terminis nimis generalibus conceptus erat. Nam si aphorismum hunc de quavis parte fibris muscularibus instructa seorsim, nec comparando cum aliis, intelligamus: de veritate ejus non est quod dubitemus (§. 273.). Quod vero utilitatem ejus, ut supra dixi, tantopere jactaverit, in hoc sane modum excessisse vir Cel. videtur.



Sectio XXI.

De fibris venarum & arteriarum.

§. 275.

Non modo in venis, sed etiam in arteriis inveniuntur fibræ in longum porrectæ simul & circulares.

§. 276.

Si fibræ in longum porrectæ majore vi se se contrahunt: vasa accurtantur; si vero id a circularibus fit, diameter eorum minuitur.

§. 277.

An fibræ hæ circulares & longitudinales vasorum vi gaudeant vitali, nec ne, sequentibus sectionibus monstrabitur.

Sectio XXII.

Fibræ venarum & arteriarum longitudinales vi gaudent elasticas & vitali.

§. 278.

Venæ & arteriæ in cadaveribus nudatæ ac dissectæ se retrahunt, finesque separati spatum inter se relinquentes hiant.

§. 279.

Hæc contractio (§. 278.) sine dubio a fibris in longum porrectis oritur (§. 275.).

§. 280.

Et cum in corporibus vita privatis id adhuc fiat (§. 278.); dubium non est, quin vim habeant elasticam.

§. 281.

Si hæc dissectio vasorum in corpore vivo instituitur; partes utræque dissectæ multo magis retro feruntur.


§. 282.

Tum acrimonia sufficienti irritati, adhuc validius se contrahunt.

§. 283.

§. 283.

Igitur fibræ longitudinales arteriarum
venarumque, non modo vi gaudent elas-
tica; verum etiam viribus vitalibus non
plane orbatae sunt (§. 281. seq.).



Sectio XXIII.

Pulsatio arteriarum motus est ipsius proprius, a vi earum vitali dependet, & irritatione augetur.

§. 284.

Arteriae a venis differunt pulsu, cum pulsatione Cordis consentiente. Hic vero pulsus an sit motus arteriis proprius & a viribus earum vitalibus (§. 283.) dependeat, vel an a sanguine, e corde in vasa hæc injecto, arteriasque in vices extendente, oriatur, hic loci determinari conabor.

§. 285.

Si exfecto ranæ viventis corde motum sanguinis in arteriis relieti attentius consideremus; sanguinem hunc per vices extendi contrahique, ideoque huc illuc agitari reperiemus.

§. 286.

§. 286.

Hæc sanguinis in arteriis relictæ agitatio (§. 285.) arteriam, deficiente licet corde, mutuo se adhuc contrahere atque expandere, manifesto probat.

§. 287.

Negare non possum, mutuam hanc expansionem & contractionem, corde non amplius ad arterias sanguinem, quo extenderentur & ad sequentem contractionem præpararentur (§. 285.), mitten-te, magnam mihi incussisse admirationem. Sed res non aliter se habet; nam alii quoque viri idem observarunt.

§. 288.

Itaque motus pulsans cordis non tan-tum a sanguine, pulsim a corde in vasa hæc injecto, procreatur; sed a viribus vitalibus arteriarum, motuque iis proprio simul dependet (§. 285 – 287.).

§. 289.

De hac veritate, scilicet pulsationem

motum esse arteriis proprium , & a vi earum vitali dependentem (§. 288.), alia adhuc observatione convictus sum. Accersitus ad sacerdotem apoplexia tacitum & sinistro corporis latere debilem factum, ne minimum quidem pulsus arteriarum in brachio sinistro vestigium animadvertere potui ; in dextro autem pulsus erat plenus ac fortis. Hunc casum postea iterum observavi. Quid inde sequitur ? Si motus arteriarum ab injecto tantum sanguine arterioso efficeretur ; inter paralyticum æque ac sanum brachium, respectu arteriarum pulsus, nulla plane differentia apparere potuisset. Quod cum secus se haberet, manifestum est, pulsus esse motum arteriis proprium (§. 288.).

§. 290.

Et sic casum rarissimum a Celeb. de Haen traditum rite dijudicare licet. Hic aperto defuncti cujusdam cadavere cor adeo deforme partibusque adjacentibus adeo implicatum reperit, ut nulli plane motui

motui idoneum esset. Quæritur hic, quo modo sanguis hoc casu moveri, vi-
taque hominis illæsa manere potuit? Cum
jam persuasum habeamus, pulsus esse
motum arteriis proprium (§. 288.), &
casu citato nihil aliud adesset, quo mo-
tus sanguinis conservari potuerit, non
est opus, ut de responsione ad hanc
quæstionem amplius solliciti simus.

§. 291.

Constructio arteriarum, si cerebri ar-
terias exceperis, eadem est in omnibus,
atque a venis multum distincta. Et si
ope cultelli anatomici arterias, quantum
fieri potest, longissime persequiamur, ean-
dem structuram, qua differunt a venis, vel
in tenuissimis earum ramulis reperiemus.

§. 292.

Igitur pulsatio arteriarum etiam in sub-
tilissimis earum ramulis, motus est ipsis
proprius, a particulari earum structura
fibrisque muscularibus vi vitali præeditis
dependens (§. 288.).

§. 293.

§. 293.

Itaque necesse est, ut hæ fibræ in corpore vivo sufficienter irritatæ, majorem quoque conatum, motum cordis pulsantem augendi, impendant (§. 160.).

§. 294.

Si igitur medicamentis acribus, venenis, materia febrili &c sanguini admistis motus ejus intenditur, non modo cordis, sed etiam fibrarum muscularium in arteriis irritationi hæc mutatio tribuenda (§. 293.).

§. 295.

Sed qualis requiritur irritationis gradus, ut violentior motus arteriis inducatur (§. 293.)? De hac re certo adfirmare nihil ausim. Attamen quia non minus quam fibræ musculares cordis propulsando sanguini destinatæ sunt; verisimile est, parem quoque irritationis gradum requiri; quod etiam cum aliorum observationibus consentit. Hanc igitur opinionem, urytote semper innocuam, admittamus.

Sectio



Sectio XXIV.

De arteriarum venarumque sese coarctandi ac penitus occludendi facultate, quæ a fibrarum orbicularium recurtatione & contractione dependet.

§. 296.

Si arteriæ aut venæ majores in vivis animalibus denudantur, tum vellicantur, punguntur, aut alia quadam ratione mechanica irritantur; nullum sane in iis sese coarctandi molimen apparent, nec irritamenta hæc quidquam ad mutationem qualcumque in illis excitandam poliere videntur.

§. 297.

Verum si vasa hæc denudata (§. 296.) bono spiritu acri, nitri, salis aut vitrioli tanguntur: statim in loco affecto adeo se contrahunt, ut ne guttula quidem sanguinis amplius permeare possit.

§. 298.

§. 298.

Hæc vasorum se contrahendi, coarctandi & occludendi facultas (§. 297.) nascitur sine dubio a vi aucta fibrarum orbicularium; nam hæc solæ, non vero fibræ in longum porrectæ sic dispositæ sunt, ut accurtando sese coarctare & vasa penitus occludere valeant (§. 276.).

§. 299.

Nunc autem oritur quæstio; Num fibrarum orbicularium (§. 298.) sese coarctandi facultas a viribus suis vitalibus; aut potius inde oriatur, quod vasa spiritibus acidis adhibitis (§. 297.) tantum corrugantur?

§. 300.

In ductu renali, quam Celeb. de Haller in animalibus vivis, iisdem spiritibus acidis, qui (§. 297.) contrahere se atque occludere vasa majora cogebant, irritabat, nullus sese contrahendi conatus observari potuit.

§. 301.

§. 301.

Quare hic contractio non æque ac invasis sanguiferis locum habuit? Ratio alia esse non potest, nisi quod ductus renalis aut paucioribus aut plane nullis viribus vitalibus instructus est.

§. 302.

Ex his ergo sequitur, fibras orbiculares vasorum sanguiferorum (§. 299.) vires habere vitales.

§. 303.

Id quoque patet ex eo, quod vasa sanguifera penitus emortua, licet spiritibus acidis, in corpore vivo contractiōnem vasorum inducentibus (§. 297.), humectentur, tamen coarctare se non amplius nitantur.

§. 304.

Nunc satis perspectum habemus, fibris majorum vasorum sanguiferorum orbicularibus tam exiguum inesse agilitatem aut irritabilitatem, ut non nisi spiritu acido.

acido tacti se contrahant atque coarctent
 (§. 297.). Videamus quoque, qualis
 sit minorum vasorum conditio. Num
 hæc quoque agilitate tam exigua donata
 sunt? Hoc non sequitur. Res majoris
 est momenti, quam primo intuitu appa-
 ret, ideoque accuratioris indagationis me
 non pœnitabit.



Sectio XXV.

Arteriæ æque ac venæ, quo snt
mores, eo facilius ad coarc-
tandum et secludendum ir-
ritamento adhibito compellun-
tur.

§. 305.

Arteriarum venarumque majorum mo-
bilitatem exploraturus, spiritu nitri non
admodum bono uti cogebat, quem dum
vasis sanguiferis minoribus admovi, tanta
exorta est contractio, ut ruber sanguis
prositus exprimeretur; cum vero majo-
ribus hunc spiritum vasis adhiberem, nul-
lum plane effectum habuit. Postea au-
tem vasa haec, oleo vitrioli illinita, tam
violenter se contrahebant, ut ne guttam
quidem sanguinis transmitterent.

§. 306.

Ex hoc igitur patebat, vasa sanguifera
mino-

minora ramis majoribus, a quibus originem trahebant, multo esse agiliora
(§. 305.).

§. 307.

Et nunc quoque verisimile mihi videbatur, agilitatem aut irritabilitatem vasorum sanguiferorum eo magis augeri, quo magis paulatim diminuuntur.

§. 308.

Sed quantum distat probabilitas a certitudine! Veritatem igitur ut assequerer, venas arteriasque in animalibus vivis culetto persequi institui, ut in vasis denudatis, spiritu nitri roboris varii irritatis, in hunc finem experimenta facere possem, quibus edoctus, veritati proprius accederem. At statim ab initio indagationis tot mihi tantæque se obtulere difficultates, ut hanc veritatis investigandæ viam relinquem.

§. 309.

Cum difficultates, quas offendit, amico meo

meo erudito, de quo jam supra (§. 203.) dixi, narrarem, respondit: "Ponamus veram esse opinionem tuam, vasaque sanguifera tantum agilitate augeri, quantum magnitudine amittunt (§. 307.), necesse est, ut minimi eorum ramuli summa agilitate fruantur. Si hoc ita se habet, vasaque sanguifera cultello in corpore animalis vivi persequeris; dolor e sectione ortus minima hæc vasa ac tantopere agilia irritando facile ad coarctandum sese incitabit. Itaque si his in vasis experientia institues, nihil aliud, præterquam quod irritamenta coarctatis jam vasis admota efficiunt, reperies; irritabilitas vero eorum qualis sit in statu sano, & in corpore nec anxietate nec dolore oppresso, hoc modo nunquam invenies. Mitte igitur inutilem hanc explorandi methodum. , ,

§. 310.

Hæc verba quo diutius mecum reputabam, eo clarius intellexi, parum me inita hac via profecturum. Quare observationibus ediscere decrevi, quod ex- peri-

perimentis cognoscere non potui. De his observationibus jam loquar.

§. 311.

Arteria ad dimidium abscissa, & quod non raro accidit, remediis stypticis & fasciis quibuscumque adhibitis frustra tentata, a prudente chirurgo dissecatur penitus, & Ianguis saepe brevi sistitur.

§. 312.

Ipse meis oculis vidi homines summopere stupentes Cel. Kaltschmidum nunc beatum, qui hoc artificio hæmorrhagiam arteriæ ad dimidium dissecatæ, quæ jam per plures dies, efficacissimis licet remediis sanguinem sistentibus, optimisque fasciis applicatis, sanguinem fundere non cessaverat, confessim inhibebat. Ipse hæmorrhagiam arteriæ sic læsæ in eo brachii loco, quo arteriæ pulsum tentare solemus, ceteris remediis sine fructu in auxilium vocatis, hoc modo & simili cum successu debellavi.

§. 313.

§. 313.

Sed quænam est ratio, cur arteriarum hæmorrhagia resectione earum aptaque obligatione sisti soleat? Quia fibræ longitudinales arteriæ, resectione factæ, occasionem sese accurandi arripiunt, ideoque in utroque fine arteriæ ab invicem recidunt (§. 279. 281.). Igitur in dubium revocari non potest, quin fibræ orbicularis vi vitali præditæ (§. 302. seq.) magis conjungantur; quo facto facultas eorum contractilis mirum in modum augetur. Facile enim probari potest, vim coarctantem in parte contracta proportionatam esse contractioni.

§. 314.

Contractionem vero & occlusionem arteriæ discissæ re ipsa in causa esse, cur sanguis sistatur (§. 313.), adhuc ex eo colligitur, quod vasa hæc, experientia teste, non ita multo post, facile concrescunt. Cum enim coalitio hæc, nisi fibræ se invicem immediate contingant,

O

locum

locum habere nunquam possit ; sequitur, eas jam ante coalitionem sese contrahentes tetigisse invicem & coalescendo obstruxisse arteriam.

§. 315.

Ex supra dictis (§. 311 - 314.) haud difficulter intelligi potest, quam erronea sit illorum opinio, qui hæmorrhagias arteriarum dissectione non propterea sisti existimant, quod fibræ orbiculares se contrahunt (§. 314.); sed quia arteriæ inter musculos recedunt, & ab his comprimuntur. Arteriæ, qua pulsum sanguinis explorare solemus, hæmorrhagiam dissectione sine ullo labore inhibere potui (§. 312.). Hic tamen musculi, qui fines hujus arteriæ abscondere eosque comprimere possent, non jacent. Aucta tantum vis fibrarum orbicularium (§. 313.) & obligatio hunc effectum produxere.

§. 316.

Porro patet e prioribus, quam parum solus embolus e coagulato sanguine ortus
dissectas

dissectæ arteriæ hæmorrhagiam cohibere queat. Talis enim embolus casu Cel. Kaltischmidii in arteria ad dimidium absissa, remediis stypticis fortissimis magna copia adhibitis, quantum fieri potest, optimus erat generatus, & obligatione idonea conservatus; tamen sanguinis profusio, nonnisi penitus dissecta arteria sedari potuit (§. 312.).

§. 317.

Arteriæ, de quibus hactenus differui, mediæ tantum magnitudinis erant (§. 312. seq.). Verumtamen non solum hæ, sed etiam vasa longe majora dissecta magis magisque ab invicem recedunt: vires fibrarum orbicularium paulatim augentur (§. 313.); & tandem hac ratione se prorsus obstruunt atque coalescunt. Hæc omnia amputato crure in arteriis majoribus luculenter apparent.

§. 318.

Quemadmodum hæmorrhagia arteriarum ad dimidium dissectarum facilius se-

datur, si penitus resecantur; resectæ vero sensim sensimque se contrahunt, claudunt atque coalescunt (§. 311-315.): ita & in venis majoribus idem obtinet. Amputato crure hæc omnia non tantum in arteriis discessis (§. 317.), verum etiam in venis observantur.

§. 319.

Experientia autem docet, profluviū sanguinis tam in arteriis, quam in venis dissectis eo facilius sponte sedari, quo minores sunt arteriæ & venæ, in quibus accidit.

§. 320.

Si parvis vasis sanguiferis non inessent vires vitales, quarum ope coarctare se atque occludere possent: non ante sanguinem fundere cessarent, quam ultima e corpore gutta effluxerit, eodem plane modo, quo perforato dolii fundo vinum tamdiu effluere pergit, donec omnino vacuum evaserit. Jam vero cum venæ pariter ac arteriæ dissectæ tanto facilius se contrahant, sanguinisque profluvinm inhibeant, quanto sunt minora (§. 319.); sequi-


sequitur, fibras earum orbiculares vi
vitali instructas (§. 302.) impetum san-
guinis eo facilius superare, sese contra-
here, eoque esse agiliores, quo vasa san-
guifera sensim minora fiunt.

§. 321.

Itaque necesse est, ut extremi vasorum
sanguiferorum fines, tam minimarum
arteriarum, quam venarum, irritatione ad
contrahendum se & coarctandum facile
cogantur (§. 320): etiamsi in majoribus
irritamento mechanico nulla plane muta-
tio excitari queat (§. 296.), nec aliter
nisi spiritu acido contacti ad coarctan-
dum sese impelli possint (§. 297.).

§. 322.

Inquirendum nunc est, arteriis & ve-
nis quanta sit irritabilitas atque mobilitas.
Antequam ad respondendum huic quæs-
tioni me accingam, definire conabor, an
venis & arteriis minimis idem sit gradus
agilitatis; vel an arteriæ præ venis aut venæ
præ arteriis priorem locum obtineant?



Sectio XXVI.

Venæ minimæ propter vires vitales suas facilius se contrahunt, atque coarctant, quam arteriæ.

§. 323.

Ut vasa sanguifera se coarctent, non sufficit, ut fibræ eorum orbiculares viribus præditæ sint vitalibus (§. 302.), conatumque sese contrahendi impendant (§. 313.); sed vis ista tanta esse debet, ut imperum permanantis sanguinis continere possit. Si vires tantæ non sunt: non magis extorquere motum valent, quam vis pondo 99. lapidem, 100. pondō resistentem, movere potest.

§. 324.

Sanguis arteriosus ingenti vi e corde in arterias propellitur. Motum hunc simul adauget pulsatio arteriarum (§. 288. seq.)

seq.) a viribus vitalibus dependens. Si vero sanguis hic magna vi agitatus ex ultimis arteriarum pulsantium ramulis in venas minimas non pulsantes transit: magis magisque lateribus earum adhærendo, sicut ex hydraulicis notum, vim suam amittit. Cum vero vas sanguiferum coarctare se & occludere nequeat, nisi vis ejus coarctans resistentiam permeantis sanguinis & vas apertum tenentis, debellare valeat (§. 323.): ex sola hac ratione jam probabile foret, venas minimas ad coartandum sese arteriis multo esse procliviores. At nihil opus est immorari conjecturis, cum, quomodo se res habeat, experientia nos satis superque docere possit.

§. 325.

Exiguam arteriam & simul venam ejusdem magnitudinis, vel paulo majorem resecantes, venæ sanguinem prius, quam arteriæ, sponte sisti reperiemus.


§. 326.

Minimarum igitur venarum fibræ orbiculares

culares viribus instruetæ vitalibus (§. 302.) resistentiam sanguinis venosi facilius superant, quam fibræ orbiculares minimarum arteriarum vim sibi ab arterioso sanguine illatam reprimere possunt (§. 325.).

§. 327.

Adhibitis ergo irritamentis venæ minimæ facilius se coarctare debent, quam arteriæ minimæ (§. 326.).



Sectio XXVII.

Magna venarum minimarum agilitas aut irritabilitas ulterius demonstratur.

§. 328.

Cum ex hactenus demonstratis persuasum habeamus, venas minimas arteriolis multo esse irritabiliores (§. 325.-327.), quæritur: quanta sit earum mobilitas. Antequam ad hanc quæstionem respondeam, haud supervacaneum fore existimo, fibrarum orbicularium horum vasorum sese coarctandi facultatem exemplis aliquot ostendere, atque extra omnem dubitationis aleam ponere.

§. 329.

Puella quædam digitum inter januæ valvas contundebat. Eodem momento cor ei validius palpitare, facies summopere pallere, & fluxus menstruus, quo jam laborabat, obstrui cœpit, §. 330.

§. 330.

Unde hoc casu subita cordis palpitatio (§. 329.)? Digiti contusio statim vehementissimi doloris sensum peperit. Mutatione igitur in digito facta, ope nervorum in cerebrum propagata, non tantum laesi digiti conscientiam (§. 77.) excitabat, sed motus quoque eo traductus, & in cerebrum agens, irritationem produxit (§. 148. & seq.). Hæc autem irritatio, cerebro communicata, per totum corpus ad fibras musculares omnes expandi debuit. Nam perinde est, an musculares fibræ immediate, aut earum nervus haud procul ab illis, vel in medio, vel prope cerebrum, vel in ipso cerebro irritetur (§. 242.). Cor vero cum irritatione facilime moveatur (§. 160. No.), mirum sane non est, nervos e cerebro ad correspondentes subito motum ejus augere, statimque orto dolore palpitationem cordis procreari (§. 329.).

§. 331.

Sed quare hæc puella subito palluit (§. 329.)? Genarum rubor a sanguine per tenuissimas venas pellucente gignitur: per tenuissimas venas, inquam; nam pulsum, licet optimis oculum miscroscopiis armaveris, non observabis. Pallore igitur orto, necesse est, ut ruber sanguis e tenerrimis hisce vasculis sit expulsus; quamdiu enim his continetur, translucet. Fieri autem non potest, ut sanguis e venis minimis, actione cordis integra, expellatur, nisi coarctatis vasculis. Quare ratio, cur contusio digiti, motu cordis aucto (§. 330.), subitum intulerit pallorem, in eo consistere debet, quod coarctationem & contractionem minimorum faciei vasorum genuit; tantam, inquam, coarctationem, ut sanguinem exprimerent, nec rubro amplius sanguinis globulo aditum darent.

§. 332.

Qua autem ratione contusio in dígito facta

facta minimis genarum venis coarctationem induxit (§. 331.)? Dolore exorto non tantum nervi e cerebro ad cor propagati, sed etiam reliqui omnes irritabantur. Hæc igitur irritatio non tantum operis nervorum cordi communicata, sed per totum corpus expansa (§. 330.), minimæque venæ ea participes factæ. Hinc earum coarctatio, & , non obstante cordis motu aucto, rubri sanguinis expulsio orta.

§. 333.

Itaque cum pallor faciei eodem, quo dolor, momento exortus (§. 329.), ideoque explicatio ejus a doloris sensatione petenda sit, neminem fore arbitror, qui solutioni quæstionis (§. 331. & 332.) oblatæ calculum adjicere recusabit.

§. 334.

Patet igitur, minimas genarum venas summa instructas esse mobilitate & irritabilitate (§. 332.).

§. 335.

§. 335.

Sed fortasse minimæ tantum genarum venæ tam facile se contrahunt, ut irri-tatio a digito ad cerebrum propagata & hinc per totum corpus expansa ad pro-ducentam hanc coarctationem sufficiat? Verum cum eodem, quo id fiebat, tem-pore simul fluxus menstruus subito im-peditus fuerit (§. 329.); sequitur, ut non tantum tenuissimæ genarum venæ, sed & uteri & vaginæ vascula, sanguinem menstruum stillantia, ad coarctandum se & contrahendum exigua indigeant irri-tatione.

§. 336.

Porro de hac veritate convictus esse debet, quicunque meminerit, tantam esse horum vasculorum irritabilitatem, ut ad-spersa tantum abdomini aqua frigida, fluxus menstruus sœpissime sistatur.

§. 337.

Sed fortasse fibris orbicularibus mini-morum

morum faciei uterique vasculorum tan-
tum , non autem venarum in genere om-
nium , tam facilis est contractio ? Ut char-
tæ & tempori parciam , rem ulterius hic
explicare desinam , quia ex sequentibus
elucescer , parem esse universis conditio-
nem.



Sectio XXVIII.

Venæ minimæ corde sunt mobiliores.

§. 338.

Cum jam demonstratum sit, venas minimas facilius coarctari, quam minimæ arteriæ (§. 325. seq.), magnaque prædictas esse mobilitate (§. 329. seq.): quæruntur nunc, quanta earum sit irritabilitas? Ad hanc quæstionem ut respondeamus, necesse erit, alias considerare partes agiles, cum quibus minimarum venarum agilitatem conferre possimus. Inter omnes corporis partes nulla est huic proposito magis accommodata, quam cor. Hac igitur Sectione investigabitur, an cor aut venæ minimæ majore gaudeant irritabilitate.

§. 339.

Ad hanc rem definiendam, observacionem.

nem proponam, ubi acrimonia initio exigua copia in sanguine contenta, tum sensim sensimque adaucta, magis magisque irritat. Sub his circumstantiis attendendum, an venæ minimaæ ante, quam motus cordis augetur, coarctentur, vel an utrumque simul fiat? Si venæ prius constringantur: sequitur, venis minimis facilius induci motum; si motus cordis prius augeatur: necesse est, ut cordi majorem inesse mobilitatem fateamur: si vero in venis coarctatio & in corde motus augmentum simul contingat: dubium non est, quin cor & venæ pari gaudeant irritabilitatis gradu. Partes enim viribus vitalibus instructæ diversos irritationis gradus requirunt, nec ulli motus induci potest, nisi justum hunc gradum irritationis attigerit (§. 262.).

§. 340.

Materia febrilis in omnibus, qui febre corripiuntur, paulatim generatur & augetur, nec motus febriles excitat ante, quam ad certam quantitatem materia incre-

creverit (§. 339.). Quemadmodum certa vini copia ad inebriandum, opii, ad somnum præternaturalem excitandum opus est; sic quoque materiæ febriles, ut motus præternaturales generare valeant, certa quantitate adesse debent. Quod alio loco longius atque luculentius ostendetur,

§. 341.

Curandum aliquando suscepi hominem febri intermitente affectum. Tres amplius horas ante paroxysmum prædicebat, febrem suam certe reversuram. Quibus signis id cognosceret, interrogabam. Video, inquit, in speculo pallorem faciei, paroxysmi nuncium: ecce ungues meos, ut jam livere incipiunt! Pulsum tentabam, nec ullum adhuc motus febrilis vestigium animadvertere poteram. Tribus horis præterlapsis corripiebatur accessu febris, quo, ut solet, cor fortiter pulsabat, & arteriarum pulsus validior atque celerior fiebat.

§. 342.

Ex his patet, fibras minimarum venarum orbiculares facilius se contrahere & minuere horum vasculorum diametrum, quam cordis motus irritatione augetur (§. 341.). Materia enim febrilis paulatim est aucta (§. 340.), contractio autem minimarum venarum validiori cordis motui præcessit (§. 341.).

§. 343.

Jam non solum in promptu est ratio, cur eadem materia febrilis phænomena sibi invicem adeo opposita, calorem & frigus, producat; verum etiam cur omnis paroxysmus a frigore incipiat, & calore finiatur. Cum enim nulla pars corporis irritatione moveatur nisi sufficienti, venæque minimæ majore quam cor agilitate gaudeant (§. 342.): res aliter se habere non potest. Videmus hoc casu, quomodo primis principiis rite determinatis non raro phænomena pathologica difficillima exiguo sane negotio explicari possint.

Sectio



Sectio XXIX.

Coarctatio arteriarum irritatio-
ne orta motui earum pulsanti
resistit; & ad coarctationem va-
lidior requiritur irritatio,
quam illa est, qua arteriarum &
cordis pulsatio summopere au-
getur.

§. 344.

Nunc oritur quæstio, arteriæ minimæ
an corde sint agiliores, aut contra an-
cor agilitate antecedat arterias? Sic quæ-
ritur, si quidem venæ minimæ corde
sunt irritabiliores (§. 342.), arteriæ vero
minimæ venis minimis mobilitate cedunt
(§. 327.). Veritatem hic eruere conabor.

§. 345.

Ad motum cordis & arteriarum au-
gendum idem irritationis gradus requiri-
tur (§. 295.). Ut autem motus arteria-

rum pulsans augeatur; necesse est, ut arteriæ magis dilatentur. Hæc enim dilatatio ad subsequentem contractionem eas præparare atque idoneas reddere debet. Hoc si non fiat, pulsationem quoque validiorem exercere non possunt.

§. 346.

Pulsans arteriarum motus necessario posculat, ut per vices expandantur (§. 345.). Jam vero quis non videat, dilatationem illarum eo fore difficiliorem, quo majore sese coarctandi conatu utuntur; hanc vero dilatationem locum habere non posse, si irritamento affectæ penitus se occludant (§. 201.). Irritatio igitur pulsantem augens arteriarum motum, coarctationem in illis producere nequit; contra irritatione coarctationem illis inducente necesse est, ut motus pulsans minuatur aut penitus extinguitur.

§. 347.

Nihil est facilius, quam veritatem hujus demonstrationis exemplo confirmare. Ar-

te-

teria enim spiritu acido contacta, ideoque exorta in ea coarctatione, motus pulsans in parte coarctata ea magis diminuitur, quo coarctatio est major; si autem irri-tatio eum gradum attigerit, ut arteria sese occludere cogatur, motus hic peni-tus deletur.

§. 348.

Igitur paulatim orta, & successu tem-poris magis magisque aucta ac per totum corpus propagata irritatione, primo venæ summa agilitate præditæ coarctantur (§. 344.). Tum irritatione sensim majus incrementum capiente, cor & arteriæ pulsare coguntur (§. 345.), & motus hic continuata irritatione magis magisque increscit: donec is gradus irritationis, quo minimæ arteriolæ ad coarctandum se impelluntur, existat. Quo facto motus cordis & arteriarum pulsans imminuitur; eo magis, quo validius sese coarc-tant. Tandem irritatione paulatim ad summum aucta motus pulsans cordis & arteriarum prorsus evanescit (§. 346.).

§. 349.

Cordis, inquam : quia minimarum arteriarum contractio motui sanguinis, per eas acti, necessario resistit ; ideoque cor, vincendae huic resistantiae impar, sanguinem non amplius movere potest, immotumque manere cogitur ; tum animi deliquum aut mors succedit.

§. 350.

Quam varios igitur effectus diversi irritationis gradus in corpore humano producere possunt ! Pro horum graduum diversitate excitantur aut extinguntur motus (§. 348. 349.). Medicus, qui hoc negligit aut non attendit, in Pathologia parum sani præstabit. Itaque quæ de hac re tradidi, cum sint notatu dignissima, diligenter perpendenda ac memoriae mandanda sunt.

§. 351.

Cum jam a diversis irritationis gradibus diversos quoque effectus produci ostenderim (§. 350.): observationem aliquam,

quam, qua (§. 348. & 349.) allata fir-
marentur, invenire optabam. Cum ma-
teriæ febriles aliquando paulatim adeo
accumulentur, ut mortem inducant, ex-
emplum huc pertinens ab his sumere
statui. Verum re accuratius considerata
eas fini meo parum idoneas reperi. Nam
præter irritandi facultatem, vi quoque
debilitante instructa sunt, quod suo tem-
pore latius demonstrabo; & hæc circum-
stantia captiosa erat, multisque erroribus
causam præbere poterat, cum forsan irri-
tationi adscribere potuerim effectus de-
bilitatæ fibræ, præterquam quod materiæ
hæ febriles varia in varias partes vi agant.
Variolarum enim virus collum facile in-
vadit, materia morbillorum tussim exci-
tat, & febris intermittentis materia in
alias corporis partes agere solet. Mate-
ria scorbutica non tam facile motum cor-
dis adauget, quam firmitatem ossium la-
befactat. Ut paucis rem expediam, re
diligentius perpensa, materias morbificas,
licet acres & sensim increcentes consilio
meo parum accommodatas inveni. §.

§. 352.

Tum vero in mentem mihi venit, casum quærere, quo dolor initio admodum exiguus succedente tempore ad summum usque gradum increseret: hoc enim facto irritatio quoque per corpus expansa sensim augeri, & primo contractionem in minimis venis, tum validiorem cordis & arteriarum pulsuum, tandem quoque minimarum arteriarum contractionem producere debuit (§. 348.).

§. 353.

Aliquando duo sponsione contenderunt. Unus negabat, alterum præ dolore nunquam toleraturum, ut fistula fumaria fictilis in crure ejus discutiarur. Risit ille, rem parvam existimans, & crus præbuit. Tum vero alter globulo in inferiore parte capitis fistulæ facto eundem semper cruris locum verberavit, ita tamen, ut fistula non frangeretur. Cum his verberibus pars, sensibilior paulatim facta, continuo afficeretur, & accedentes plagæ hanc partis sensibilitatem adhuc ma-

gis

gis augerent: intolerabilis tandem exortus est dolor. Haud aliter se res habet in milite virgis multato. Hic quoque sequentes plagæ eadem de causa prioribus semper dolorosiores esse debent. Observationes igitur meas in milite virgarum damnato instituere decrevi.

§. 354.

Antequam vero ad implendum hoc propositum accederem, re paulo accuratius deliberata intellexi, neque hanc veritatis investigandæ viam satis tutam fore. Nam phænomena a concitatori militis plectendi cursu orta observationes turbare, & effectus doloris sensim aucti hoc modo incertos reddere debebant. Itaque tamdiu exspectare statui, donec aliquando miles alligaretur, & verberantes transiendo plagas ei infligerent. Sic enim difficultates, quas cursus producere potuit, locum non habere putavi.

§. 355.

Sed hic quoque aliæ se mihi offerebant diffi-

difficultates. Quis enim nescit, quanto-
pere vociferatio sanguinis motum mutare
queat? Quis vero miles adeo male mul-
catus clamorem continebit? Si autem do-
lor questus ei & clamores expresserit,
phænomena ab irritatione per corpus ex-
pansa, producta, cum iis, quæ clamores
protulere, miscentur, nec facile ab invi-
cem distingui possunt.

§. 356.

Accedit adhuc gravior difficultas. No-
rum est, omnes animi affectus, maxime
vero metum, ingentes in corpore huma-
no excitare mutationes. Si miles, cum
hoste conflicturus, ut plurimum vultu
est præter consuetudinem pallido, & om-
nibus membris contremiscit; qui fieri
posset, ut pœnæ adeo acerbæ destinatus
non terreatur? Dubium non est, quin
animus ejus summopere sit commotus.
Talis autem circumstantia observationem
facile vitiosam reddere potest. In homi-
ne enim ejusmodi affectu permoto phæ-
nomena, alias non apparitura, nascuntur;

aut

aut dolori adscribuntur effectus, vel a solo animi affectu, vel ab hoc & dolore simul progeniti.

§. 357.

Tandem occasio, harum omnium difficultatum expers, emersit. De qua, antequam historiam ipsam observationum enarrare aggrediar, claram præmittere descriptionem pœnæ necessarium judico.

Milites anglici ob crimen gravius commissum non virgis, sed funiculis plectuntur. Parvi funiculi torti, sesquipedem longi, illis, quos scuticarum extremitatibus alligare consuevimus, non absimiles, numero viginti quinque, manubrio ejusdem longitudinis adstricti, instrumentum pœnæ constituunt. Tum hastæ junctim confirmantur, hisque miles ita alligatur, ut stare quidem possit, sed corpore antorsum inclinato, & incurvato tergo. Tympanistæ tergum hominis ita incurvatum percutiunt, & singulis vicibus viginti quinque funiculis feriunt. Uno cessante, alter denuo verberare incipit,
donec

donec determinatum plagarum numerum miles acceperit. Initio ne minima quidem rubedo in tergo observatur, quæ demum post aliquod tempus apparet. Inde venit, ut qui pœnam hanc primum adspicit, animo concipere non possit, quomodo tam graves dolores procreare valeat, etiamsi hoc nihil sit verius. Continuatæ plagæ summum tandem dolorem gignunt (§. 353.). Hæc ad cognoscendum hoc supplicii genus, superiore bello sæpius a me spectatum sufficient.

§. 358.

Accidit aliquando, ut juvenis anglus ad hanc pœnam condemnatus esset. Facie erat pulchra & florente gena, inctar puellæ. Ad observandas minimarum venarum in genis mutationes ab inflictis verbibus ortas hæc facies admodum idonea erat. Vultus vero natura pallidus, cuius minima vaſcula adeo coarctata sunt, ut in statu naturali sanguinem rubrum non transmittant, ad hujusmodi experimenta non magis est accommodatus, quam cū profus,

profus. Praeterea metuendum non erat; ne clamores juvenis in observationes influerent. Nam Scotti quidem dum puniuntur misere lamentari solent; Angli vero stoica quadam constantia dolores perferunt, nec sonum edunt; ita ut statim cognoscere possis, Scotus sit an Anglus, qui funiculis cæditur. Hic globum plumbeum in ore tenet & mordet, non ille. Accedit & hoc, quod Anglus iste, aliorum verbis inductus, leviori se pœna affectum iri, persuasum habebat. Falsis hisce promissis eo magis confidebat, quod a præfecto legionis ceterisque ducibus se multum diligi non ignorabat. Igitur in vultu ejus ne minima quidem mutatio apparebat. Depositis vestibus animo adeo imperterritus ad hastas, quibus alligandus erat, accessit, ut ad cœnam eum ire credidisses. Chirurgus legionis, qui mihi gratificans pulsus ejus tentaverat, nullam se in eo mutationem deprehendisse asseverabat. Hic igitur non animi affectus, non metus imminentis pœnæ, quam le-

vissi.

vissim fore, miles iste sibi persuaserat, locum habebat, & vincula quoque impiedebant, quominus phænomena a cursu turbarentur. Circumstantiis his proposito meo adeo congruis, ut sperare non potuerim, fore, ut iterum in vita mea mihi occurrerent, chirurgum legionis, quem *Doctoris* titulo Angli honorant, ut opem mihi ferat, rogavi. Multum enim hoc casu me juvare poterat, quod ex officiū sui præscripto subinde inter plagas pulsū militis, tentare debebat. Cujus rei causam infra narrabo. Auxilii a viro hoc humanissimo mihi præstiti ad hunc usque diem grato animo recordor.

§. 359.

- 1.) Cum Anglus hic hastis alligaretur (§. 357.), pulsus adhuc erat naturalis.
- 2.) Primis verberibus inflictis summopere pallere cœpit, & pulsus parvus evasit; quod tamen ultra dimidium minutū non duravit.
- 3.) Tum pallor evanuit, & genæ ejus adhuc

adhuc magis floruerunt, quam antea.
Pulsus admodum plenus, concitatus,
non vero supra modum durus.

4.) Post tria minuta iterum pallor, qui
sequentibus duobus minutis adeo auge-
batur, ut miles mortuo similis videre-
tur; pulsus concitatus & durus, tanta-
que & tam vehemens cordis palpita-
tio, ut exterius conspici potuerit. Qua-
tuor minutis in hoc statu peractis, nu-
meroque plagarum impleto, tandem a
vinculis liberabatur.

§. 360.

Cum Anglus hic hastis alligaretur, pul-
sus erat naturalis (§. 359. No. 1.) Ex
quo pater, nullum animi affectum sangu-
inis perturbasse motum.

§. 361.

Cur autem, cum primæ infligerentur
plagæ, faciem pallor obduxit (§. 359.
No. 2.)? Venæ minimæ corde sunt irri-
tabiliores (§. 342.), hinc irritatio, quæ
venas quidem movere potuit validius, ad

cor autem afficiendum vim sufficientem non habuit, contractionem in minimis vasculis necessario producere debuit; reliqua sic satis clara sunt.

§. 362.

Cur autem pulsus nunc quoque parvus evasit (§. 359. No. 2.)? Motu cordis non aucto, venis vero minimis contractatis: necesse erat, ut viribus sanguinem moventibus major opponeretur resistentia; hinc motus sanguinis lentior, pulsusque minor fieri debuit.

§. 363.

Cur vero genæ postea iterum rubebant (§. 359. No. 3.)? Continuatis verberibus dolor (§. 353.) & irritatio e cerebro per totum corpus expansa magis magisque augebantur. **C**um vero cordis & arteriarum irritabilitas, quatenus hæ pulsant, irritabilitati parvarum venarum succedat (§. 348.): necesse erat, ut dolore paulatim adaucto vehementius moverentur, & sanguinem majore vi propelle-

rent.

rent. Irritatio hæc sensim sensimque
aucta effecit quidem, ut minimarum ve-
narum fibræ orbiculares paulatim arctius
se contraherent; sed quis non videt, eas
sub his circumstantiis brevi eo redactum
iri, ut motum summum exercere coge-
rentur? Quo facto vires earum, non
magis ac hominis, qui vim summam im-
penderit, majus incrementum capere po-
terant, licet dolore & irritatione semper
crescente, cor & arteriæ vehementer sese
movere pergerent. Tandem vero, re sic
constituta, vis cordis & arteriarum pul-
sans minimarum venarum vim contrahen-
tem necessario superare debebat. Hinc
venæ minimæ rursus dilatatae sanguine
rubro implebantur. Ratio igitur, cur
sæpius repetitæ funicularum ictus faciem
militis primo pallidam, tum denuo ru-
bram reddebant, manifesto apparet.

§. 364.

Ex eadem causâ apparet, quare pulsus
hoc tempore admodum plenus, concita-
tus, nec tamen durus erat (S. 359. No. 3).

Q

Ple-

Plenus erat & concitatus ob acceleratum cordis & arteriarum motum ; admodum durus vero fieri non potuit , quia propter venarum minimarum dilatationem (§. 363.) nihil impediebat , quominus sanguis facile venulas permearet.

§. 365.

Cur autem miles funiculis cæsus aucto dolore iterum pallere cœpit ? Qui fieri id potuit , cum eodem tempore cor vehementer pulsaret (§. 359. No. 4.) ? Irritatione per totum corpus propagata sensimque magis aucta , necesse erat , ut cor tandem & arteriæ pariter motum extremum , nullo deinceps conatu superandum , exercent . Tum vero adhuc magis incremente irritatione , vehemens quidem cordis & arteriarum motus non minuebatur ; arteriæ vero minimæ simul se coarctare debebant (§. 348.) . Cum igitur vires hæ contrahentes crescente irritatione augerentur , & cum minimarum venarum viribus contrahentibus sese conjungerent : tandem res eo venire debebat ,

bat, ut sanguis arteriosus duplicatam hanc
resistentiam non amplius removere posset.
Quo facto non tantum arteriae minimæ,
sed etiam venæ iterum sese contrahentes
sanguinem rubrum expremebant, & sic
faciei pallorem inducebant.

§. 366.

Quare autem hoc casu cor tantopere
palpitabat, ut motus ejus pulsans extra
conspici posset (§. 359. No. 4.)? Cum
cor & arteriae ultimas vires suas ad pro-
trudendum sanguinem impenderent, ex-
tremi vero arteriarum fines, minimæque
venæ se constringerent, & sanguinis cir-
culationem hoc modo impedirent (§. 365):
necesse erat, ut, sanguine in cor reagente,
palpitatio oriretur.

§. 367.

Hinc quoque pater, cur hoc tempore
pulsus non tantum concitatus, sed etiam
durus erat (§. 359. No. 4.).

§. 368.

Neque minus ratio, cur miles inter con-

tinuatos funiculorum ictus sensim pallidior factus fuerit, manifesto apparet. Cum enim irritatio magis aucta vires cordis & arteriarum, sanguinem moventes, ulterius augere non posset, contractionem vero arteriolarum magis intenderet (§. 365.): color faciei necessario pallidior fieri debuit.

§. 369.

Anglus noster jam vinculis solvebatur. Sed quid secutum esset, si plagæ adhuc diu fuissent repetitæ, & irritatio per totum corpus propagata sine intermissione adhuc magis aucta fuisset? Color pallidus faciei majus incrementum capere, minimæque arteriæ tantopere se coarctare atque contrahere debuissent, ut vires cordis & arteriarum moventes resistentiam hanc non amplius vincere potuissent; & sic tandem sanguis circulare desisset. Itaque diutius continuata verberatione pulsus debilitatus sensimque minor factus animi deliquium aut mortem induxisset (§. 249.).

§. 370.

Natura hæc confirmat. Si enim Anglo pœnæ hujus damnato magnus plagarum numerus infligendus est: Chirurgus legionis semper adest, vultumque militis contemplans, simulac pallidiorem fieri, & cor validius palpitare videt, pulsus subinde tentat. Miles enim, si justo plures funicularum ictus sustinuerit, pallore, velut mortuus, obducitur, debilitatur pulsus, quibus animi deliquium, & non raro mors, succedit. Igitur simulac Chirurgus legionis, pulsus tentans & debilitatum reperiens, veretur, ne diutius repetitis ictibus animi deliquium oriatur, dato signo, militem vinculis liberari juber.



Sectio XXX.

De vasis lymphaticis, earumque,
si irritantur, sese coarctandi
facultate.

§. 371.

Cum jam de vasorum sanguinem rubrum continentium irritabilitate, quantum ad propositum meum pertinet, satis superque dixerim: ad vasorum lymphaticorum proprietates declarandas me convertam. Hæc vasa oriuntur, dum arteriæ æque ac venæ continua divisione tandem adeo tenues fiunt, ut rubrum sanguinis globulum non amplius recipere queant. Cum vasa lymphatica eodem modo, quo vasa sanguifera, in tenuissimos ramulos se dividunt, oriuntur tandem vascula subtilissimo bombycis filo tenuiora; imo adeo tenuia, ut nudis oculis non amplius conspici possint.

§. 372.

§. 372.

Ex eo, quod hic (§. 371.) de vasorum lymphaticorum origine dixi, sequitur, bifariam ea dividi posse: scilicet primo in ea, quæ ex ultima arteriarum divisione generantur, & humores suos ab arteriis accipiunt; tum in alia, quæ ex minimis venarum ramulis nascuntur, humoresque suos ad cor reducunt.

§. 373.

Jam vero quid statuendum est de horum vasorum lymphaticorum irritabilitate? Cum vasa sanguifera, decrescente amplitudine sua, irritabiliora & mobiliora fieri (§. 321.); vasa lymphatica vero ex ultima vasorum sanguiferorum divisione oriri, non ignorarem (§. 371.): initio mihi incidit suspicio, vasa lymphatica sanguiferis multo esse irritabiliora; & quo minores in ramos subdividerentur, eo quoque majorem consequi agilitatem. Re vero accuratius considerata, sana ratio non minus quam postea experientia me docuit, in

vasis

vasis lymphaticis longe aliam naturæ legem, quam in sanguiferis obtinere; nimirum, facultatem coactantem pro diminuta eorum amplitudine & tenuitate aucta, imminui; adeo, ut in minimis eorum ramulis irritatione neque coarctatio neque contractio produci queat. Qua ratione autem hanc cognitionem acqui-
verim, ordine narrabo.

§. 374.

Ad coarctandum aut occludendum vas lymphaticum requiritur, ut fibræ ejus orbiculares tantam sese contrahendi vim im-
pendant, ut resistentia humoris in iis con-
tenti superetur. Si hæc resistentia non
vincitur, fibræ orbiculares sese contrahere
non possunt, quæcumque demum sit ea-
rum conditio, aut quantacunque tandem
vi agant. Nunquam enim, ut apud
mechanicos constat, motus efficitur, nisi
vis movens resistente sit major. Si lapi-
dem vi **XClX** pondo movere nitor, hic
autem onere **C.** pondo resistit; lapis hic
manet immotus.

§. 375.

§. 375.

Primo jam resistantiam fibris vasorum lymphaticorum orbicularibus ab humore contento oppositam; tum vires hisce fibris proprias, consideremus: tandem utrasque inter se conferamus. In physica probatur, humores in tubum capillarem penetrantes non modo conatum extendendi tubum impendere; verum etiam hunc conatum eo esse majorem, quo canalis tubi angustior est. Vis humoris, in tubum capillarem penetrantis, extendens, omnem fere superat fidem. Vi huic tribuendum est, quod cuneo e ligno arido facto, lapidique molinari inserto & humectato, lapis dirumpitur. De hac vi latius actum est in *Appendice ad partem primam de Variolis.* Cum vero vascula lymphatica revera tenues sint tubi capillares: haec omnia quoque de his valere debent. Porro cum humores in tubum capillarem penetrantes vi contrahenti fibrarum ejus orbicularium resistant: patet, resistantiam, fibris vasorum lymphaticorum
orbi-

orbicularibus ab humore in ea penetrante oppositam eo magis augeri, quo tubuli capillares sunt minores.

§. 376.

Quid vero de viribus fibrarum orbicularium horum vasorum statuendum? Cum vasorum lymphaticorum ramuli, quo saepius se dividunt, eo fiant subtiliores (§. 371.), necesse est, ut vis fibrarum orbicularium, harumque sese contrahendi facultas magis magisque minuatur. De veritate hujus consequentiae dubitari non potest, cum fibra paulo validior, velut e duabus fibris debiliорibus composita considerari queat, ideoque vis ejus contrahens robori fibrarum orbicularium proportionata esse debeat (§. 374.).

§. 377.

Itaque cum pro vasorum lymphaticorum aucta tenuitate vis eorum contrahens sensim minuatur (§. 375.), simul autem resistentia, his viribus ab ingrediente humore opposita, augeatur (§. 376.): ma-

nif esto apparet , vasculorum istorum sese contrahendi & coarctandi facultatem , ideoque eorum irritabilitatem , pro aucta subtilitate diminui , & tandem penitus extingui debere (§. 374.).

§. 373.

Licet autem vasorum lymphaticorum vis contrahens & irritabilitas , quo ramuli eorum tenuiores fiunt , eo magis paulatim decrescat (§. 377.): facile tamen intelligitur , vasa illa lymphatica , quæ ex ultimis arteriarum finibus humores suos accipiunt , (§. 372.), non adeo irritabiles esse , quam vascula reducentia . Humor enim , majore vi ex arteriis in illa compulsus , necessario efficit , ut resistentia hæc difficulter superetur , ac proinde vascula quoque non tam facile se contrahere possint .

§. 379.

Quæ cum ita sint , quæritur , vasa lymphatica maxima , quæ humores suos venis tradunt (§. 272.), quanta sint irritabili-

bilitate? Si venæ genarum minimæ adeo se contrahunt, ut sanguinem rubrum non amplius admittant, & nonnisi lympham recipiant: revera pro vasis lymphaticis maximis, quæ venis humores suos tradunt, habendæ sunt. Jam vero, ut vasa hæc lymphatica magis sese coarctent, requiritur validior irritatio, quam quæ, dum adhuc venæ erant, ad coarctationem eorum sufficiebat. Sequitur ergo, muscularis lymphaticis aliquanto minorem esse, quam minimis venis, mobilitatem.

§. 380.

Cum jam minimarum venarum, post levem contractionem, ac in vasa lymphatica mutationem, quanta sit irritabilitas, probe intelligamus (§. 379.): quæritur, quanta sit irritabilitas vasculi lymphatici, proprie sic dicti, in statu naturali rubrum sanguinem non amplius admittentis? Hoc irritabilitate paulo minore præeditum sit, oportet. Tenuiores enim fibræ orbicularis vasorum lymphaticorum minore sese contrahendi & resistentiam vincendi facultate gaudent (§. 376.).

§. 381.

§. 381.

Cum jam sciamus, vasis lymphaticis maximis paulo minorem esse, quam minimis venis, irritabilitatem (§. 379.): supereft, ut quæramus, quomodo cum maximis arteriarum vasis lymphaticis series habeat (§. 372.)? Verum supra jam ostensum est, ea paulo minore, quam quæ maximis vasis lymphaticis propria est, mobilitate atque irritabilitate gaudere (§. 278.); quod casu præsente cognoscere sufficiat.

§. 382.

Quod de vasorum lymphaticorum sensim diminuta irritabilitate dixi (§. 376.), observationibus ulterius demonstrare non supervacaneum puto. Hunc in finem exempla, a vulneribus suppurantibus ulceribusque desumpta, proponam. Quod hæc non sanguinem sed humorem quendam aquosum a vasis sanguiferis accipient, lippis & tonsoribus notum est, & experientia quotidiana confirmatur. Qua ratione

tione autem in vulneribus & ulceribus
pus generetur, *absoluto de Inflammationi-
bus capite in Tractatu de Suppuratione*
luculentissime exponam. Quam vero ob
causam ulcera & vulnera non amplius
sanguinem fundunt, sed humorem tantum
aguosum stillant? Unde hic humor in ea
derivatur? Opinionem vulgarem, dissecta
scilicet & coarctata vasa sanguifera hunc
humorem stillare, non ignoro, imo in
vulneribus ulceribusque recentibus initio
pro parte saltem id fieri, nullus dubito.
Verum in vulneribus jam suppurantibus
& ulceribus vetustis humores hi e fonte
longe diverso oriuntur. Majora enim
vasa sanguifera post amputationem femo-
ris aliarumque partium paulatim se con-
trahunt, occludunt, & intra paucos dies
adeo concrescant, ut ne guttulam quidem
sanguinis transmittant. Cum vero arte-
riæ venæque dissectæ eo·facilius se con-
trahant, atque concrescant, quo sunt mi-
nores (§. 319 – 321.): non difficulter
intelligitur, humores in vulnera jam du-
dum

dum suppurantia & ulceræ vetusta influentes a dissectis vasis lymphaticis, non autem a vasis sanguiferis proficiunt. Quæ veritas si impugnari non potest; non est dubium, quin vasa lymphatica resecta difficilius se contrahant, occludant, ac postea coalescant, quam minimæ venæ. Quodvis igitur ulcus vetustum aperte ostendit, minimas venas facultate sese contrahendi atque claudendi, ideoque irritabilitate longe majore, prædictas esse, quam vasa lymphatica.

§. 383.

Sæpius & præcipue quidem in cruribus fœda oriuntur ulceræ, quæ magnam liquoris aquosæ quotidie copiam exsudant, & propterea singularem medelam desiderant. Quod non tantum in cruribus cedemate aquoso affectis, verum etiam in iis, qui ejusmodi tumore non laborant, contingere solet. Itaque hi quoque casus satis demonstrant, vasa lymphatica non tam facile se contrahere, & difficilius coalescere, quam minimæ venæ (§. 382.).

§. 384.

Etiam si ea, quæ de minore vasorum lymphaticorum irritabilitate (§. 379. & seq.) proposui, tam firmo stent tali, ut nihil iis opponi possit: tamen dubitatio se mihi obtulit, ex qua primo intuitu me expedire posse, fere desperabam. Quæ cum aliis quoque in mentem venire possit, silentio prætereunda non esse, videatur. Si vasis lymphaticis minor est, quam minimis venis, irritabilitas (§. 379.), hæc que pro decrescente amplitudine minuitur (377.); qui sit, ut vasa cutanea, transpirationi insensibili destinata, tanta prædicta sint irritabilitate? Frigus enim mediocre vasa hæc contrahere, & transpirationem insensibilem cohibere potest. Nonne doctrina hic tradita jam labefactari videtur? Initio quidem hæc opinio oriri potest; si autem naturam consulamus, & rem paulo attentius exploremus; tantum abest, ut doctrinam hanc debilitatem reperiamus, ut potius magnum inde robur ei accessisse, fatendum sit. Sequenti Sectione hoc luculentius ostendetur.

Sectio



Sectio XXXI.

De vasorum, materiam perspira-
tionis insensibilis ducentium
sphincterumque eorum irrita-
bilitate.

§. 385.

Imposito hominis sani brachio cantha-
ridum emplastro, & per aliquot horas
ibi relicto: cuticulam in modum vesicæ
turgidam, in superficie externa siccām,
incisam vero fluidum quoddam effunden-
tem reperiemus.

§. 386.

Quomodo autem fit, ut hoc casu cu-
ticula a vera cute separetur? Vascula te-
nerrima materiam perspirationis insensi-
bilis ducentia, cutim in statu naturali cum
cuticula connectunt. Hæc ergo, ut a cute
separetur, & faciem vesicæ fluido extensæ
præ se ferat, necesse est, ut vasa insen-

R

sibilis

sibilis perspirationis, quæ cutim cum epidermide conjungunt, rumpantur.

§. 387.

Emplastrum ergo cantharidum hanc vim habere, manifesto sequitur.

§. 388.

Qua ratione autem emplastrum cantharidum hunc effectum producit (§. 386.)? Ut rem facilius intelligamus, pauca quædam de Acribus præmittere, necessum erit. Acria fortissima partes corporis humani corrodunt, earumque compaginem destruunt. Huc pertinent oleum vitrioli, aqua fortis &c. Acria autem fortiora a debilioribus nonnisi gradu actionis inter se differre certum est. Igitur debiliora quoque acria conatum partes corporis humani solidas destruendi impendunt, semperque id faciunt, licet hic conatus non sufficiat. E. g. Aqua fortis multa aqua communi diluta non amplius corrodit, nihilominus conatum aliquem corrodendi impendit, hic vero conatus vi sufficiente

non

non juvatur. Concedendum igitur est, acrimoniam cantharidum etiam conatum impendere, nexus partium solidarum corporis humani destruendi; & hoc experientia teste toties contingit, quoties diutius, quam ad generandam vesicam requiritur, in eodem cutis loco applicata manet.

§. 389.

Eodem modo, quo unguentum mercuriale externe infricatum certis sub conditionibus salivationem excitat: emplastria cantharidum externe imposita non raro excretionem urinæ dolorosam generant. Hunc effectum quoque pulvis cantharidum sufficiente copia interne assumtus producit. Ex his patet, particulas acres emplastri cantharidum per cuticulam in tenuima cutis vascula penetrantes, sanguini admisceri. Quod, ut ad lignendam dolorosam urinæ excretionem, necessario requiritur. Si jam vascula cutanea, quibus cum epidermide cutis cohæret, vires ipsa cuticula subtiliora fingamus:

necessitatem, ut acrimonia cantharidum, vascula haec penetrans, vigesima temporis, quo epidermidem corrodit, parte, destruere possit. Igitur, emplastro cantharidum cuti imposito, vascula, cutim cum epidermide connectentia, corroduntur, & sic epidermis a cute separatur (§. 386.).

§. 390.

Cur autem epidermis vesicæ formam præ se ferens, fluidoque referta appetet (§. 385.)? Si vascula tenuissima materiam perspirationis insensibilis ducentia abrupta se non contraxerunt, ideoque humor perspirationis insensibilis adhuc permeare potest: effluit e vasculis abruptis, cutim inter & cuticulam colligitur, hancque vesicæ in formam extendit.

§. 391.

Ex his omnibus phænomenis, applicato cantharidum emplastro observatis (§. 385.), appetet, vascula lymphatica, sudoris & perspirationis insensibilis materiam

teriam ducentia, ab acrimonia cantharidum ad contrahendum se cogi non potuisse, ideoque parum irritabilitatis habere. Quam præclare hic omnia, quæ ante (§. 381. seq.) de exigua vasorum lymphaticorum irritabilitate demonstravimus, confirmantur!

§. 392.

Quamvis autem vascula perspirationem insensibilem ducentia exigua fruantur irritabilitate (§. 391.): tamen sphincteres eorum cuticulæ inhærentes mobilissimi sunt, imo venis minimis longe mobiliores. Aër enim frigidus, ventus levis, qui in rubentibus genis ne minimam quidem mutationem excitare valet, sphincteres eorum, dum calemus, facile ad coarctandum sese, insensibilisque perspirationis materiam cohibendam, impellere potest. Dolor adeo mediocris, ut generum colorem iminutare non possit, perspirationem insensibilem jam impedit, teste Sanctorio, Keil & de Goster, qui rem experimentis comprobarunt.

§. 393.

Vasculis materiam sudoris ducentibus tam exigua irritabilitate instructis (§. 391.), qui sit, ut eorum sphincteres tanta sint mobilitate (392.)? Etiamsi nihil certi hac de re proponere possim, sententiam tamen meam qualemcumque lectoris judicio subjiciam. Licet fibræ orbiculares vasculorum perspirationis insensibilis sudorisque materiam ducentium, parvo affectæ irritamento, majores diametrum suum imminuendi conatus impendant: contracatio tamen non sequitur, nisi vires earum tantopere sint auctæ, ut resistentiam omnem amovere queant (§. 374.). Id autem ut fiat, vis major requiritur, quam in tenuissimis hisce fibris locum habere potest (§. 377.). Atque hoc modo mobilitate prorsus destitutæ essent. Verum si in epidermide multæ horum vasculorum fibræ orbiculares concurrunt, viresque suas conjungunt; nihil obstat, quominus viribus suis in unum collectis resistentiam

vincant, licet ipsa vasa lymphatica hoc efficere non potuerint. Hac ratione facile fieri potest, ut vascula ipsa, sudoris materiam ducentia, exiguum, sphincteres vero eorum, multis fibris orbicularibus compositi, maximam habeant irribilitatem.

Section



Sectio XXXII.


De mobilitate aut irritabilitate
canalibus excernentibus vario-
rum organorum secernentium
propria.

§. 394.

Ut verum dicamus, vascula cutanea perspirationem insensibilem ducentia re ipsa pro canalibus excretoriis habendi sunt. Vidimus supra (§. 385. seq.), quanta sint mobilitate aut irritabilitate a natura instructa; quænam vero sit reliquo- rum organorum secernentium irritabilitas, jam inquiremus. Necesse autem est, ut ille, qui aliquid certi de hac re affirmare cupit, singula hæc organa seorsim consideret. Sicut enim diversa corporis organa multum inter se differunt; ita quoque ductibus eorum excernentibus varii sunt irritabilitatis gradus. In ductu re-

nali

nali ne ipso quidem oleo vitrioli mutatio
ulla procreari potest (§. 300.). Hoc est,
quod in præsenti de hac re dicendum
mihi proposui. Nonmodo scientia ad
eam declarandam sufficienti; sed etiam
otio, cognitiones meas experimentis &
observationibus adeo augendi atque fir-
mandi, ut operæ pretium sit, eas cum
lectore communicare, destitutus sum.



Sectio XXXIII.

De irritabilitate & mobilitate tubulorum, quibus aër per pulmones propagatur.

§. 395.

Cavitas thoracis inter inspirandum alternatim dilatatur atque minuitur. Si dilatatur: aër pulmones penetrat, tubulorum aëreorum sparsos ramos inflat, & sic adest inspiratio. Subsequente vero thoracis coarctatione aër inspiratus denuo extruditur; quod exspirationem vocamus. Sed hæc omnia cuivis e physiologia satis nota sunt.

§. 396.

Ex his facile intelligitur, ad inspirationem nihil tam necessario requiri, quam tubulorum pulmonalium extensibilitatem. Si enim rigidi essent & immobiles, neque extendi se & comprimi paterentur; eandem

dem semper aëris copiam in se contine-rent, & hac ratione neque aëri ingre-dienti aditus, neque recepto exitus pro-curari posset.

§. 397.

Tubulis hisce pulmonum aliquanto at-tentius consideratis, apparebit, maiores ob fabricam solidam, cartilaginosam, di-ductioni huic & compressioni non admo-dum idoneos esse; sed eo facilius con-stringi atque dilatari posse, quo sunt mi-nores.

§. 398.

Hoc adeo verum est, ut extremi tu-bolorum aëreorum fines a pluribus me-dicis pro vesiculis habiti sint, & in tabu-lis anatomicis sic depicti reperiantur. Re-vera enim extremitates istæ adeo subtile-s sunt, ut vesicularum in modum ab aëre inter inspirandum extendantur, inter ex-spirandum vero rursus comprimantur.

§. 399.

Ut igitur tubuli aërei pulmonum irri-tabili-

tabilitate quadam gaudeant, ideoque sese contrahere possint: necesse est, ut agilitas eorum imminuto diametro augeatur: aucto autem minor fiat, tandemque penitus extinguatur (§. 397.).

§. 400.

Licet vero tubuli aërei minimi ab aëre ingrediente facile se moveri patientur (§. 398.): tamen inde non sequitur, nativam iis inesse facultatem sese movendi, agilitatem aut mobilitatem, sed incertum est, an hoc, vel contrarium obtineat.

§. 401.

Antequam vero examinemus, tubuli pulmonum aërei an mobiles sint, aut immobiles; an irritamentis affecti moveantur, aut quiescant: inquirendum est, quosnam effectus utroque casu, tam si mobiles, quam si immobiles sunt, irritatio in iis producere debeat.

§. 402.

Si agilitate & activitate prorsus sunt desti-

destituti ; irritatio eis inducta inspirationem impedire non potest ; quia hoc casu irritamentis mutatio excitari nequit.

§. 403.

Contra si irritabiles sunt , ac proinde facultate sese contrahendi non carent ; irritatio sufficiens inspirationem difficultem aut suffocationem procreare debet . Inspirationem difficultem , si facultate eorum contrahente expansio tantum impeditur ; suffocationem vero , si tanta est contractionis , ut aëre ingrediente tolli non possit (§. 396.).

§. 404.

Inspirazione autem impedita aut exorta suffocatione non statim colligendum est : Ergo tubuli pulmonum minimi in statu contractionis sunt (§. 403.) ; suffocatio enim & inspiratio difficilis a causis omnino diversis oriri potest .

§. 405.

Ad causas , quæ suffocationem , difficultem .

Itemque respirationem producunt, nec a tubulis pulmonum aëreis derivari possunt (§. 404.), referenda est constrictio rimæ glottidis tam violenta, ut aër pulmones vel omnino non, vel saltem magna cum difficultate penetrare queat. Ex hac causa ejusmodi symptomata frequenter oriri solent.

§. 406.

Sed qua ratione determinari poterit, an contractio hæc rimæ glottidis (§. 405.) respirationem difficilem & suffocationem produxerit, nec ne? Resolutio hujus quæstionis cum argumento, quod tractandum sumsi, arctissime cohæret, ideoque præmissis de hac re, quæ ad propositum meum pertinere videntur, ulterius inquirere pergam, num tubuli pulmonum aërei agilitate sint prædicti, & irritatione sufficiente affecti sese contrahant, aut omni prorsus agilitate destituti sint.

§. 407.

Si res minima, aquæ aut cerevisiæ una
alte-

alterave guttula in rimam glottidis illapsa est, subito in regione glottidis sensatio vehementissima & tussis exoritur, cum tanta respirationis difficultate conjuncta, ut facies intumescat rubore suffusa, & suffocationis periculum immineat. Hic casus in vita communi adeo frequens est, ut fere quotidie eum observare possis.

§. 408.

Partes igitur, quæ rimam glottidis constituunt, musculari, qui rimam hanc varie movendo loquelas, cantum &c producunt, non solum maxima sensibilitate gaudent; verum etiam tanta agilitate instruti sunt, ut rimam glottidis facile eo usque coarctare possint, ut respirationis difficultas & nonnunquam suffocatio nascatur (§. 407.).

§. 409.

Agilitas cordis sensibilitate ejus longe major est; ventriculi vero sensibilitas mobilitatem ejus superat (§. 270.). Jam vero cum partes glottidis rimam contrahentes

hentes & dilatantes pariter magna præditæ sint sensibilitate & agilitate (§. 407. & 408.): quæritur, num sensibilitas eorum sit agilitate major, aut vice versa?

§. 410.

Medico artem suam exercenti frequens sese offert occasio certam tussis speciem observandi, quæ sine dubio ex irritatione partium rimam glottidis constituentium originem dicit. Homines tum dicere solent: "Sentio titillationem in collo, quæ tussim ignit. „ Accuratus percontanti, „ sensus hic titillationis, inquiunt, initio mediocris sensim augetur. Dum titillatio satis valida non est, tussim facile continere possum & respiratio non impeditur; si vero ad certum usque gradum increverit: tussim non amplius comprimere valeo."

§. 411.

Cum titillationis sensus præcedat, sensim augeatur, & tum demum tussis suffocabilis appareat (§. 410.), dubium non est,

est, quin agilitas sive irritabilitas partium, quæ motum rimæ glottidis producunt, a sensibilitate earum supereretur (§. 409.).

§. 412.

Itaque si respiratio difficilis aut suffocation exoritur, nec in regione glottidis titillatio sentitur: certo colligere licet, causam respirationis difficilis aut suffocationis in contractione & coarctatione rimæ glottidis non esse quærendam (§. 411.).

§. 413.

Redeo nunc ad quæstionem, an tubuli pulmonum aërei irritabiles sint, nec ne (§. 400.)? Negotiorum multitudine dissentus experimenta huc pertinentia hactenus instituere non potui. Quare per Cassellas aliquando iter faciens Dn. Fehr, chirurgum peritum, ut hanc operam in se susciperet, rogavi. Hic VI Kal. Aprilis MDCCLXXVIII. literis mihi nuntiavit sequentia. „Experimenta circa tubulos pulmonum aëreos nudius tertius in

vitulo institui. Incisa vena utraque jugulari, & sanguine fere omni; (ita tamen, ut vitæ aliqua adhuc vestigia remanerent,) effuso, pectus aperui, tubulosque aëreos, a majoribus ad minimos scalpello persecutus sum. Tum spiritu nitri eos contingens in majoribus fere nullam, in minoribus vero contractionem eo validiorrem animadverti, quo sensim minores fiebant. “

§. 414.

Chirurgus hic causam, cur omnem fere sanguinem effundi jusserrit (§. 413.), in literis non adjecit. Verum id sine dubio propterea factum est, ne sanguinis copia impediret, quominus phænomena accuratius observari possent. Ceterum relatio hujus experimenti nimis manca est, quam ut argumenta nobis præbere possit.

§. 415.

Initio experimentum hoc repetere animus fuit. Sed consilium mutavi, partim
quia

quia incepto meo magis conducere judicabam, (uti ex sequentibus apparebit,) si tubuli aërei interne, quam si externe irritarentur; partim quia irritationem internam efficaciorem fore existimabam, sicut in corde & muscularis (Sect. XIV.) expertus fueram. Ad suspicionem meam adhuc magis confirmandam accedebat & hoc, quod in superiori parte arteriæ asperæ; qua glottis formatur, in signis est differentia. Extrinsecus enim partem hanc fortiter comprimere possumus, quin motus oriatur: cum e contrario unica aquæ guttula in rimam glottidis aberrans, dolorem & tussim vehementem producat (§. 407.).

§. 416.

Quoniam, ut dixi, effectus irritationis, in superficie interna tubolorum aëreorum factæ, experiri optabam (§. 415.): experimenta & observationes ope vaporum irritantium, simul cum aëre in pulmones receptorum, instituere decrevi. Hoc enim modo superficies tubolorum inter-

næ, si irritabiles sunt, necessario irritari debent.

§. 417.

Si autem hac ratione reperire velumus, an tubuli pulmonum aërei irritamento interno affecti se contrahant atque coarc-tent (§. 416.): attendendum est 1.) an aëre variis vaporibus acribus replete, & in tubulos pulmonum recepto, respiratio difficultis, imo suffocatio sequatur, vel neu-trum fiat. Si tum 2.) hi vapores utut acres & mordaces nec respirationis diffi-cultatem nec suffocationem inducant; ma-nifestum erit, tubulos pulmonum aëreos nulla præditas esse agilitate aut irritabili-tate (§. 402.). Quodsi vero 3.) respi-ra-tio difficultis aut suffocatio excitabitur: quærendum erit, utrum hoc ideo fiat, quod tubuli aërei se contrahant aut co-arctent. (§. 396.); aut an contractio rimæ glottidis (§. 405.), vel aliud quidquam in causa sit.

§. 418.

Tempore belli septennis, media æstate,
tem-

tempestate arida aliquando, dura mihi necessitas imposita fuit, exercitum ab oppido Bielefeld accelerato itinere signa mouentem comitandi. Atmosphæra pulvere ab equorum & militum multitudine excitato adeo erat referta, ut vix viginti passuum spatiū oculis perlustrare potuerimus. Tamen nec mihi nec militibus, licet una cum spiritu magnam pulveris copiam trahentibus, respiratio facta est angustior.

§. 419.

Ancilla cepas in culina concidebat, quarum vaporibus oculi ejus tantopere mordebantur, ut lacrymas tenere non posset; respiratio vero mansit incolumis.

§. 420.

In alia culina fumus oculos vehementer lædebat, respirationem vero impedire non poterat.

§. 421.

In saltatione solenni quidam euphorbii pulverem subtilissimum hinc inde disper-

terat. Sternutatio paulo post exorta oblationi celeriter finem imposuit: at nemo respirationis angustiam sensit.

§. 422.

Fumus pulveris nitrati in acie s^epe per multas horas ingenti copia a militibus una cum spiritu haustus nec suffocationem, nec difficultem respirationem gignit; etiam si hic fumus, sicut chemici testantur, spiritus nitri & vitrioli particulas contineat.

§. 423.

Aquisgrani atmosph^aera tota vaporibus sulphureis scatet, quorum odor peregrinis initio molestiam non exiguum adfert; respirationem vero non reddit angustiorem, & incolae, his exhalationibus adsuetae, bona fruuntur valetudine & diu vivunt.

§. 424.

Pulvis cum spiritu haustus (§. 418.) tubulos pulmonum aëreos mechanice irritabat. Vapores ceparum (§. 419.), fumus communis oculos mordens (§. 420.), par-

particulæ euphorbii aëri admistæ (§. 421.), fumus pulveris pyrii, & vapores sulphuris (§. 422. & 423.) tubulos istos acrimonia sua irritant: tamen in omnibus his casibus nec respiratio difficilior, nec suffocatione producitur (§. 418. & seq.). Hinc omnia hæc irritamenta, interne adhibita, in tubulis pulmonum aëreis, contractiōnem aut coarctationem excitare non potuerunt.

§. 425.

Si jam consideramus, cunctos hos vapores (424.) in pulmones receptos rimam glottidis transiisse, glottidemque summa præditam esse sensibilitate (§. 408.), nec tamen ullum in hac parte a vaporibus & particulis acribus motum aut sensationem fuisse productam: facile apparet, ex observationibus supra (§. 418. — 423.) allatis non temere concludendum esse, tubulis pulmonum aëreis nullam esse agilitatem aut irritabilitatem; sed hoc tantum inde sequitur: irritamenta narrata ad excitandam in his partibus contractiōnem

nem aut coarctationem sufficientia non fuisse.

§. 426.

Jam vero a vaporibus acrioribus auxilium petamus. Ex his statim vapor sulphuris fortior se offert, quem concentratum sufficienti copia in pulmones receptum suffocationem excitare, hominesque & animalia celeriter necare posse, nemo est, qui ignorat.

§. 427.

Ex hac observatione admodum verisimile foret, minimis pulmonum tubulis aëreis agilitatem aut irritabilitatem inesse (§. 417.); nisi exhalationes sulphuris glottidem quoque irritarent. Cum vero una cum spiritu haustus non modo sensationem dolorosam; sed etiam tussim vehementem producat; glottidem quoque ab eo graviter irritari extra omnem dubitationis aleam positum est. Cum igitur sic se res habeat; incertum manet, utrum suffocatio a vaporibus sulphureis inde veniat,

niat, quod hi glottidem adeo irritant, ut rima sese penitus occludat; aut quia tubulos aëreos sese contrahere cogunt (§. 405. & 427.) aut quia utrumque effectum simul producunt. Ex hac igitur observatione res dijudicari non potest.

§. 428.

Aliam observationem his difficultatibus non laborantem offerunt variæ aquæ minerales vapores suffocabiles exhalantes. In agro pyrmontensi fossa invenitur ejusmodi vapores interdum tanta copia exhalans, ut aves eam prætervolantes suffocatæ concidant. Tales quoque exhalationes non procul ab aquis triburgensis reperiuntur. Putei salarii locis profundis siti vapores suffocabiles edunt. In salifodinis nostris prope oppidum Rheine aliquot ab hinc annis tres homines hoc modo necati sunt. Putei communes non nunquam exhalationibus suffocantibus adeo repleti sunt; ut homines ad rem aliquam demersam extrahendam descendentes statim suffocati interierint. In metallifodinis

nis non raro hujusmodi vapores offendimus. Apud Italos nota est fovea *Grotto del. cane* dicta. Thermæ meinbergenses magnam horum vaporum suffocantium copiam gignunt. De quorum natura & indole cum accuratiorem notitiam acquisiverim, observationes meas singulas ordine hic adjiciam.

1.) Siquis in tabulis super balneo, ubi vapor suffocabilis in unum colligitur, se collocat; in cruribus & præcipue in partibus genitalibus calorem jucundum, motumque, reptationi formicarum non absimilem, sentit, & paulo post his partibus sudare incipit. Respiratio vero non impeditur, etiam si vapores mineralis per os & nares attrahantur. Non impeditur, inquam, licet per aliquot horas in hoc statu maneas.

2.) Si vero corpore deorsum inclinato caput in densos hos vapores demittitur: respiratio subito impeditur.

3.) Si tum, respiratione hoc modo impedi-

pedita, caput rursus in altum tollitur: facultas respirandi continuo redit, etiam si tabulis insistere pergas.

- 4.) Si quis experimentum hoc, inclinato ac paulo post rursus erecto corpore, aliquoties repetens, ad sensationes inde ortas diligenter attenderit, respirationem tantum a vaporibus his deleri, firmiter sibi persuadebit; nec erit, qui experimento hoc iteratis vicibus instituto, veritatem hujus observationis in dubium revocare poterit.
- 5.) Licet respiratio his exhalationibus impossibilis fiat: nulla tamen circa glottidem oritur sensatio, nec tussis, sicut a vapore sulphuris.
- 6.) Canis, felis aut gallina, tabulis impositi, statim corruunt, & quasi exanimes jacent. At, in aërem liberum reportati, brevi in vitam revocantur.
- 7.) Quo diutius vaporibus his suffocantibus expositi jacuere; eo longius quoque ad eorum restorationem tempus requiritur.
- 8.)

8.) Restaurati, quantum quidem e specie externa judicare licet, optima gaudent sanitatem.

9.) Si autem nimis diu inter hos vapores minerales jacuerunt, nullo modo rursus animari possunt.

§. 429.

Cum sensibilitas glottidis agilitatem ejus supereret (§. 411.); vaporesque hi minerales suffocantes, licet spiritum auferant, in regione glottidis neque sensationem excitent, neque tussim producant (§. 428. No. 5.): manifestum est, eos alia de causa suffocationem inducere, quam glottidem irritando, partesque hic sitas eo redigendo, ut rimam coarctent, imo penitus occludant (§. 412.).

§. 430.

Itaque verisimile est, suffocationem inde oriri, quod tubuli aërei vaporibus his irritati coarctantur (§. 417. No. 3.).

§. 431.

Verisimile est, inquam. Sententia enim
hæc

hæc tamdiu defendi potest, donec illi, qui alias adhuc de mortis hujus causis opiniones vulgarunt, refutati sint; huc pertinent.

- 1.) Qui vaporibus his in corde & pulmonibus coagulationem sanguinis fieri existimant.
- 2.) Qui vehementi eorum in nervos actione apoplexiā produci, &
- 3.) Qui in corde aliisque partibus irritabilitatem extingui, judicant.

§. 432.

Ad primam opinionem (§. 431. No. 1.) fulciendam rationes allatæ sunt, quæ primo aspectu haud exigui ponderis esse videntur. Argumenta enim ex incisione & perscrutatione corporum eorum, qui hoc modo periere, desumpta sunt, & casibus, de quorum veritate dubitare non licet, allegatis, evidenter demonstratum est, coagulatum sanguinem imo concretiones, polyposas in corde & pulmonibus fuisse repertas. Quid infallibilius esse potest.

in-

inquiunt, causis ope anatomiae post mortem detectis?

§. 433.

Hæc argumenta, licet initio maximi momenti esse videantur, nihil tamen ad probandam hanc sententiam conferunt. Sanguis enim coagulatus in pulmonibus, corde & nonnunquam in arteria aorta hominum suffocatione, vel quocunque demum mortis genere, defunctorum reperitur. Ex quo manifesto apparet, sanguinis coagulationem suffocationis effectum esse, non causam.

§. 434.

Coagulationem sanguinis revera non esse causam, sed effectum suffocationis (§. 433.) alia adhuc ratione facile demonstrari potest. Si enim causa suffocationis esset; necessario ei antecedere deberet. Res autem manifesto aliter se habet. Nam a) facultas respirandi eo ipso momento adimitur, quo caput in vapores minerales demittitur (§. 428. No. 2.) & quidem longe

longe prius, quam vapores sanguini admisceri, ibique coagulationem creare potuerunt. b) Si coagulatio sanguinis respirandi impossibilitatem inducens præcederet, sane experimentum toties a me repetitum, caput vaporibus his usque ad respirationis defectum exponendo, in posterum summopere deprecarer. Nonne enim maligni coagulati sanguinis effectus me a temerario hoc consilio deterrere deberent? Sed exempla tot hominum, qui ante me vim harum exhalationum sine ullo vitæ detimento experti fuerunt, me ab omni metu liberabant.

§. 435.

Nunc etiam ad alteram opinionem, qua suffocatio vehementi horum vaporum in nervos actioni, & apoplexiæ hinc ortæ tribuitur, (§. 431. No. 2.) refutandam accedamus.

§. 436.

Rationes pro hac opinione pugnantes pariter non sunt condemnendæ. Nam

I.) ex-

1.) experientia teste spiritum per aliquot tempus continere possumus: hinc respirationis defectus causa non esse videtur, cur animal, in concentratis his vaporibus collocatum, tam celeriter concidat; e contrario nervos vehementer affectos subito apoplexiam procreare, satis verisimile videtur. Atque huic opinioni multum ex eo roboris accedit, quod 2.) vasa cerebri hominum, hoc modo interemtorum, ut plurimum turgida sunt reperta, imo sanguis extravasatus interdum in cerebro visus est. His autem signis apoplexiam significari, nemo medicorum est, qui ignorat.

§. 437.

Sed neque hæ rationes (§. 436.) licet satis graves esse videantur, sententiam hanc demonstrare valent. Spiritum enim aliquamdiu continere possumus, sed voluntarie: nequaquam vero si causa irritans adsit respirationem impediens; hoc enim casu præter impossibilitatem respirandi irritatio quoque glottidem premit. Quanta hinc

hinc oriatur differentia, e casu sequenti patebit.

§. 438.

Ante aliquot annos unus ex amicis meis, haud vulgaris peritiæ medicus, sequentem mihi narravit historiam. „Francofurti ad Moenum tempore nundinarum aliquando una cum pluribus mercatoribus cœnavi. Narratiuncula jocosa a conviva quodam prolatâ omnibus risum vehementissimum movit. Dum cachinnamur, unus mercatorum de sella assurgere nititur, ac subito retro in terram corruit. Vultus ejus colore livido in rubrum vergente suffunditur; accurrunt omnes, opem ferunt, sed frustra; statim vitam cum spiritu amittit. Omnes, qui aderant, eum apoplexia tactum fuisse putabant. Solus ego suspicabar, num forte inter ridendum aliquid, arteriæ asperæ illapsum, suffocationem ei procreaverit. Vesperi occasio mihi se se obtulit satisfaciendi curiositatem meam, mortisque causam investigandi. Nacta arteriam asperam incidendi potestate, particulam ossis lepori-

T

rini

rini rimæ glottidis inhærentem deprehendi. Et sic manifestum erat, hominem hac ratione fuisse suffocatum. Cur autem tam celeriter vitam amisit, ut ne surgere quidem potuerit, licet alias, sicut reliqui homines sani, spiritum diutius, quam ad surgendum necesse est, comprimere potuisset? Nonne hic a causa irritante suffocatio tam subita exorta est? Id vero si negari non potest: necesse est, ut eo quoque casu, quo acrimonia in tubulos pulmonum aëreos illata hos irritat atque constringit, iidem effectus producantur. Nam hic quoque duplex causa agit. Igitur ex eo, quod vapores supra memorati celerius suffocant, quam si absque causa irritante suffocatio producitur, nihil aliud colligi potest, nisi quod effectus utroque casu sint diversi.

§. 439.

Nunc quoque ad alterum argumentum, inde sumtum, quod vasa cerebri hominum hoc modo interemptorum turgida sint deprehensa, & non raro sanguis ex-

tra-

travasatus in cerebri cavitatibus repertus sit (§. 436. No. 2.). Verum hæc obser-
vatio pariter nihil probat. Ista enim phæ-
nomena in singulis suffocatione mortuis occur-
runt; etiam in iis, qui hoc modo
violentia morte perierunt, ut in furibus
patibulo suspensis: nec mirum est, cum omnibus illis casibus, quibus respiratio deficit, sanguinis e capite refluxus prohibetur; hinc vasa cerebri ita turgere debeant, ut interdum rumpantur.

§. 440.

Hactenus (§. 437. & seq.) tradita eo tantum spectant, ut ostendatur, argumen-
tis, quibus confisi, animalia, vapore mi-
nerali extincta, apoplexia tacta interiisse,
affirmant, id quod demonstrandum erat,
non demonstrari. At dixerit aliquis: Etiam si argumenta hæc non suffi-
cient, nihil tamen impedit, quominus res ita se habeat. Igitur reliquum est,
ut ostendam, rem ipsam omni destitutam esse fundamento. Si verum est, vapores suffocantes propterea necare, quod ner-

vos afficiunt, & apoplexiam inducunt, necesse est, ut apoplexia præcedat, suffocatio vero sequatur. Id autem nullo plane argumento nisi, luculenter apparer.

1.) Cum animalia his vaporibus suffocata, ac pro mortuis habita, dummodo celeriter in aërem liberum collocentur, brevi temporis spatio penitus restaurari soleant (§. 428. No. 6.). 2.) Cum non ego tantum, sed centum alii, absque omni detimento caput in hos vapores tamdiu demiserimus, donec respiratio prorsus deficeret (§. 434.). Actum sane de nobis fuisset, si vapores hi nervos afficerent & apoplexiā gignerent; si hæc præcederet, respirandi autem impossibilitas & suffocatio sequeretur? Igitur luce meridiana clarius appetet, omnes, qui hoc modo pereunt, suffocatione mori. Hanc veritatem phænomena omnia & sensationes eorum, qui rei periculum in proprio corpore fecerunt, testantur.

§. 441.

Nunc quoque manifesto appetet, vapores

pores hos non occidere, irritabilitatem cordi aliisque partibus auferendo (§. 431. No. 3.). Nam a) suffocatio sequitur statim ante quam vapores hi sanguini admisceri, & cordi aliisque partibus irritabilitatem auferre queant (§. 428. No. 2.) b) Animalia, quæ his vaporibus enecata esse videntur, simulac denuo respirare incipiunt, brevi recreantur; quod sane haud ita facile eveniret, si vapores hi cor aliasque partes omni irritabilitate privassent (§. 428. No. 6.). c) Per integras horas, absque ullo sanitatis incommodo has inter exhalationes supra balneum manere possumus, modo caput extra spatum illud tenetur, in quo vapores adeo concentrati sunt (§. 428. No. 1.); ut tubulos pulmonum aëreos fortiter constringere & suffocationem procreare possint. Hoc verum est, licet major vaporum copia illis sub circumstantiis spirando hauriatur, quam in una alterave sexagesima minuti parte, qua caput vaporibus his concentratis afficitur. Si in partibus internis irritabili-

tatem delerent, dii boni! quam diros, per horam integrum hausti, effectus producerent! Venena enim, quæ nervos lædunt & agilitatem eorum destruunt, eo fortiore vi agunt, quo majore copia corpus intrant; quo casu perinde est, utrum hæc dosis semel, vel paulatim diversis horæ momentis præbeatur. E. g. Opii grana tria semel assumta non tantos edunt effectus, quam grana duodecim sensim per horæ spatiū data.

§. 442.

Cum jam ostenderim, quam fluxæ sint opiniones de causis mortis per vapores hos minerales inductæ (§. 432. – 441.): audacter contendere posse arbitror, eos propterea necare, quod tubulos pulmonum aëreos irritando & constringendo (§. 430. & 431.) suffocationem generant.

§. 443.

Demonstrata igitur tubulorum aëreorum agilitate sive irritabilitate (§. 442.) exemplis aliquot utilitatem, quæ ex hac cog-

cognitione in pathologiam redundat, ob
oculos ponam.

§. 444.

Ancilla, febre purpurata decumbens, initio morbi per aliquot dies nullo gravi symptomate premebatur. Quarta autem die tanta aderat respirationis difficultas, ut quotiescumque inspiraret, maxillas magno nisu elevaret, nec aliter, nisi aperto ore, spiritum ducere posset. Querebatur simul de doloribus colli, etiamsi neque in faucibus, neque in partibus colli externis aliquid præternaturale appareret. Hæc erat angina illa sine tumore, quæ maxime periculosa jam ab Hippoerate judicata fuit, & *Cynanches* nomine innotuit. Aegrota die quinta versus vesperam decessit. Aperto cadavere nihil præternaturale in collo conspici potuit, & superior quoque pars arteriæ asperæ incolumis esse videbatur; pulmones vero inflamaræ erant, & hinc inde gangrænosæ. Pulmones læsi sine dubio mortem, orta vero hinc transpiratio pulmonica acris

acris sensationem dolorosam in collo genuit.

§. 445.

Quænam vero hujus anginæ causa erat ? Primis diebus, dicebat aliquis, respiratio non erat impedita, igitur necesse est, ut materia febrilis postea in pulmones se conjecterit. Ain? inquit chirurgus, pace tua dixerim, toto cœlo aberras ! Metastasis hic facta est. Metastasis ? Nemo hoc intelligebat, quare chirurgum id intelligere omnes sibi persuadebant. Num ego hoc responso acquiescam ? Id mihi quidem videtur; facilius enim est terminum technicum pronuntiare, quam veras morbi causas explicare. Attamen vereor, ne quibusdam e lectoribus meis hac ratione parum satisfecisse videar. Horum igitur in gratiam, quid de hac re sentiam, paucis exponam.

§. 446.

Omnes materiæ febriles acres sunt, earumque non raro maxima pars ope pulido

monum a sanguine secernitur. Aliquando spiritum fœtidum & contagiosum redundunt, quod Parte I. Tractatus de Vario-
lis, Sectione CLXIV. & seq. ostensum est. In ancilla nostra initio materia fe-
brilis, ope pulmonum a sanguine secreta, non admodum acris erat, hæc vero
acrimonia postea augebatur. Principio
igitur constrictiōnem tubulorum aëreo-
rum, difficilemque respirationem produ-
cere non potuit, quod tamen fiebat, cum
vis ejus irritans augeretur. (§. 152.) Die
quarta in hoc statu ancilla erat (§. 444.).
Materia acris, febrilis, in pulmonibus se-
creta, inflammationem ibi genuit, quæ
in gangrænam transiens, tandem lethalis
evafit. Causa respirationis impeditæ non
hærebat in collo, aut parte superiore ar-
teriæ asperæ; nam omnes hæ partes aper-
to cadavere illæsæ sunt repertæ (§. 444.),
sed in ipsis pulmonibus eorumque tubu-
lis aëreis. Materia autem hoc symptomæ
producens, non genita erat in pulmoni-
bus, sed hic secreta tantum & ab aliis
locis huc delata,

§. 447.

E paragrapho præcedenti facile intelligere licet, cur cynanche varia febrium genera, variolas, morbillos, febres putridas comitari possit; & quid cogitandum sit de eo, quod vulgo dici solet: Materiam morbi confluxisse in pulmones (§. 445.).

§. 448.

Jam quoque in promptu est ratio, cur prudentes medici, in singulis febribus, præcipue autem in malignis, summo studio ad respirationem attendant (§. 446.); & cur respirationem liberam, bonum, difficilem vero, malum, pessimum denique signum esse judicent, si ægrotantes nonnisi difficillime & cum anhelitu aërem trahunt. Primum enim indicat, materiam febrilem nondum contraxisse acrimoniam eam, quæ tubulos pulmonum ad coarctandum sese cogere possit; alterum contra præsentiam hujus acrimoniæ testatur; tertium denique vim ejus auctam demonstrat.

§. 449.

§. 449.

Nunc etiam manifestum est , cur in cadaveribus hominum , febre maligna interemtorum , non semper inflammati , aut alio modo læsi pulmones reperiantur , etiamsi summa adfuerit respirationis difficultas (§. 444.). Si enim materia febrilis satis quidem acrimoniæ habebat ad constringendum tubulos aëreos , inflammationi vero aliive pulmonum læsioni producendæ minime sufficiebat : necesse erat , incisione cadaveris nihil præternaturale inveniri (§. 448.).

§. 450.

Jam quoque intelligitur , cur urinator sub campana post aliquod tempus nonnisi maxima cum difficultate spiritum haurire possit , tandemque suffocetur . Cujus rei causa non in aëris defectu consistit ; campana enim eo manet repleta . Quare igitur ? Haec transpiratione urinatoris pulmonica aërem corrupti crediderunt . Sed unde hæc colligimus ? Num inde ,
quod

quod homo tandem in hoc aëre spiritum amplius ducere non possit, & hoc modo suffocetur? Ut ergo verum fateamur; ratio hæc: aërem spiritu hominis corrupti, nihil, aut certe parum valet. Qui enim fit, ut aër spiritu hominis corruptatur, & ad respirandum male idoneus reddatur? Solutio vera hujus quæstionis jam nulla amplius difficultate laborat. Transpiratio enim pulmonica particulas acres, putrefactioni proximas, continet, quod Parte I. de Variolis (§. 164. & seq.) abunde docuimus. Quodsi jam sub tali campana urinator per aliquod tempus respiraverit: aër tandem particulis acribus corruptis imprægnatus, tubulos minimos aëreos tam fortiter constringit, ut respiratio plane impossibilis fiat.

§. 451.

Hanc solutionem (§. 450.) recte se habere ex eo elucet, quod urinator tali campana instructus absque omni incommoditate per plures horas sub aqua manere potest, modo semper minores cam-

panulas aëre recenti impletas accipiat.
Cujus rei Unzerus in libellis suis hebdo-
madalibus, (*) exemplum memoria dig-
nissimum tradit.

§. 452.

Ad causam (§. 450.) memoratam, cur
scilicet urinator sub campana suffocetur,
accedit & alia, ab aëris humiditate pen-
dens, de qua nunc quidem silebo, in
Doctrina autem de Febribus latius de ea
agere decrevi.

§. 453.

Nunc animus foret; de dyspnœa spas-
modica, de tussi anhelosa, aliisque mor-
bis, quorum materia in pulmonibus se-
cernitur, tubulosque pulmonum sese co-
arctare cogit differere, ut eo clarius elu-
cescat, quantum utilitatis ex doctrina hac
de minimorum tubolorum aëreorum fa-
cultate coarctante pathologiæ accedat.
Verum si hic non nisi necessaria comme-
morare

(*) Der Arzt. Eine Wochenschrift.

morare vellem, liber tamen ad insignem
molem increaseret. Igitur quæ hactenus
dicta sunt, in præsenti sufficient.

§. 454.

Silentio tamen præterire non possum,
doctrinam hanc non minorem in praxi,
quam in pathologia fructum præbere.
Nam viam sternit, qua utile ab inutili in
methodo medendi discerni poterit. Quid
jam expectari potest de remediis sic dic-
tis attrahentibus, de sinapysmis plantis
pedum in cynanchi, ceterisque morbis,
ubi materiæ febriles nimia acrimonia sua
pulmones, organum hoc secretorum,
lædunt (§. 448.), applicatis? Quomodo
hic cura rationalis instituenda? Hæc non
minus, ac multa alia, brevitatis studio,
lectoris judicio relinquere cogor.]

§. 455.

Nunc quidem intelligimus, vapores
suffocabiles minerales, variasque febrium
materias (§. 442. & seq.); imo transpira-
tionem pulmonicam hominis sani, si, in-
genti

genti copia cum spiritu hausta, pulmo-
nes penetrat (§. 450. — 452.), eosque
permeat, vi sua irritante constrictione-
& coarctationem in tubulis minimis, quos
irritabiles esse hinc colligimus, procreare.
Jam vero reliquum est, ut quæramus,
quanta sit hæc irritabilitas? Hoc quoque,
antequam huic Sectioni fine & imponam,
determinare conabor.

§. 456.

Materiæ febriles, & in genere omnes
acrimoniæ, quia subinde tantum in par-
tes particulares vi quadam particulari agunt
(§. 419. seq.), facile in errorem indu-
cunt, si partis cuiusdam irritabilitas de-
terminanda est. Irritatio interea, orta
dolore per totum corpus propagata, ab
errore nos tutos reddit. In milite autem
illo funiculis cæso, ac denuo pallecente,
fines arteriarum extremos fuisse constrictos e (§. 365.) didicimus. Hoc vero
tempore respiratio adhuc libera erat.
Igitur tubulis pulmonum aëreis non tanta
videbatur esse irritabilitas, quam minimis
arteriis.

§. 457.

§. 457.

Quanquam vero extremitati arteriarum
fines tubulis pulmonum irritabiliiores esse
videantur (§. 456.); materiae tamen fe-
briles acres constrictioem in tubulis aëreis
longe facilius, quam in minimis arteriis
ideo potissimum progignere possunt, quia
nonnisi sanguini admistæ ac dilutæ in ar-
terias agunt; in tubulis vero pulmonum
seorsim ac immediate vim suam exerunt,

Sectio XXXIV.

De ordine, quo Agilitas, Mobilitas, aut Irritabilitas diversarum corporis humani partium viribus vitalibus fibrisque muscularibus præditarum in statu fano sibi invicem subsequuntur.

§. 458.

Num gradus Mobilitatis aut Irritabilitatis diversarum partium in statu fano quodammodo determinare possum. Etiam si hic forte non pauca desideraveris, uberrimum tamen inde fructum capies Viam tibi aperiet, qua multa explorare possis phænomena, quæ hæc tenus obscura erant ænigmata. Itaque hanc Sectionem, ut singulari attentione lector perlegere velit, enixe rogo.

§. 459.

Perspicuitatis causa varios irritabilitatis

U gra-

gradus literis alphabeti designabo. Minimus gradus erit, A, paulo major B, & sic porro C, D, E, F, G, H, I, K.

§. 460.

Sphincteres vasorum cutis, quæ perspirationem insensibilem ducunt, magna gaudent irritabilitate, & reliquis partibus, quarum in hoc Tractatu mentionem feci, agilitate longe praestant (§. 392. & seq.). Gradum irritationis, qui hos tantum sese coarctare cogit, litera A notemus.

§. 461.

Si dolor mediocris in parte aliqua sentitur, & irritatio hinc in cerebro exorta nervorum ope per totum corpus expanditur (§. 330.); ac tum secundum experimenta & observationes Sanctorii transpiratio insensibilis tantum impeditur: gradus hic (§. 460.) irritationis adest.

§. 462.

Si irritatio est paulo fortior: venæ minimæ coarctantur (§. 323. & seq.), non tamen adeo vehementer, ut sanguinem

ru-

rubrum exprimant. Sed sphincteres vasculorum cutis una se validius contrahunt (§. 392.) gradus hic B vocabitur.

§. 463.

Si dolor nervos cerebro insertos adhuc vehementius stimulat ; vasa lymphatica maxima , quæ ex ulteriore minimarum venarum divisione (§. 379. & seq.) oriuntur , diametrum suum imminuere coguntur. Horum enim vasculorum mobilitas minimarum venularum mobilitati succedit (§. 380. seq.). Si id autem sit ; venæ minimæ & vasculorum cutaneorum sphincteres adhuc validius se constringunt (§. 327. & 392.). Illæ tum sanguinem rubrum exprimunt ; hi vero transpirationem insensibilem fortius cohibent. Hunc gradum irritationis C. nominabimus.

§. 464.

Si nervi cerebro innati dolore adeo irritantur , ut rubor faciei plus minusve deficiat (§. 329. – 231. seq.) ; adest gradus irritationis (§. 463.) indicatus.

§. 465.

Si gradus hic irritationis **C** (§. 463.) augetur: non modo vascula maxima lymphatica (§. 380.), sed venæ quoque minimæ (§. 327.) necessario constringi debent; ruborque faciei sensim magis magisque evanescit.

§. 466.

Cum miles ille funiculis percussus initio paulatim pallidior fieret (§. 329. No. 2.); gradus hic irritationis aderat. Nam ad pallorem faciei sensim augendum, necesse erat, ut venæ minimæ paulatim magis magisque se contraherent, rubrumque fanguinem exprimerent (§. 323. 365.).

§. 467.

Si irritatio **C.** (§. 465.) majus adhuc incrementum capit: brevi temporis spatio tantopere augetur, ut motum cordis & arteriarum pulsantem acceleret. Ille enim mobilitatis gradus, quo cor & arteriæ pulsare incipiunt, mobilitati minimarum

vena-

venarum (§. 348.) vasorumque lymphaticorum, quæ ex ultimâ venarum divisione oriuntur, subsequitur (§. 380.). Hic irritationis gradus, qui cordis & arteriarum motum pulsantem intendere quidem sufficit, insigne vero incrementum ei addere non potest, D. erit.

§. 468.

Si consideremus, venas minimas maxima irritabilitate gaudere, fibrisque orbicularibus longe subtilissimis esse constructas (§. 327. & seq.); facile intelligimus, eas irritatione pederentim adaucta facile eo redigi, ut, si non maximos, ingentes certe motus exerceant, viribusque earum parum aut nihil incrementi accedere queat. Quodsi vero nunc cogitemus, arteriis & cordi non tantam, quam venis minimis, inesse irritabilitatem (§. 348.); fibras autem cordis, arteriarumque fibras orbiculares, a quibus motus earum pulsans dependet, tenerrimis minimarum venarum fibris orbicularibus longe esse robustiores: luce meridiana clarius elucet,

tatione sensim aucta venas minimas, initio constrictas, tandem motu cordis & arteriarum pulsante iterum dilatari, rubroque sanguine impleri debere (§. 363.).
Et sic gradus irritationis E. existet.

§. 469.

In milite funiculis cæsò hic gradus irritationis, cum post aliquod tempus inter verbera pulsus fieret fortior, ruborque faciei reverteretur (§. 359. No. 3. §. 363.), conspicuus erat.

§. 470.

Si, irritatione sensim crescente, vires cordis & arteriarum motrices tantopere augentur, ut parum aut nihil amplius incrementi capere valeant: gradum irritationis F. habebimus.

§. 471.

In hoc statu miles ille funiculis verberatus conspiciebatur, cum facies ejus maximo suffusa esset rubore (§. 359. & 363.).

§. 472.

§. 472.

Ut immunitio diametri in arteriis minimis producatur, longe majore opus est irritatio, quam requiritur ad motum arteriarum & cordis pulsantem eo redigendum, ut extremas vires suas exerceant (§. 348.). Is gradus irritationis **G.** vocabitur.

§. 473.

Si hæc irritatio (§. 472.) paulatim augetur: vires cordis & arteriarum motrices fortiores quidem reddere non potest (§. 348.); minimas tamen arterias sensim validius constringere debet. His autem sub circumstantiis minimas quoque venas, gradu irritationis **E** (§. 468.) a sanguine arterioso violenter propulsato, dilatatas, tandem rursus coarctari, sanguinemque rubrum exprimere, quis non vider? Si enim arteriolæ minimæ constringuntur, earumque vires contrahentes cum viribus minimarum venularum contrahentibus sese conjungunt: facile fieri potest, ut cor arteria-

teriarumque motus pulsans superare illas non amplius possit, præsertim cum aucta hæc irritatio non modo minimis, sed etiam majoribus venulis, quæ fibris orbicularibus firmioribus constant, ideoque vi majore sese contrahere valent (§. 317.), coarctationem inducat. Necesse igitur est, ut his sub circumstantiis non modo arteriæ minimæ, sed etiam venæ minimæ & minores sanguinem rubrum in se contentum exprimant. Irritatio hos effectus producens H. nominetur.

§. 474.

Miles funiculis cæsus (§. 359.) initio expallescet, quia tum irritatio, e cerebro per totum corpus propagata, non nisi coarctationem in minimis vasculis sanguiferis producebat (§. 361.). Sed cum fustigatione continua sensim validior fieret irritatio: venæ minimæ coarctatæ aucto cordis arteriarumque motu pulsante iterum dilatabantur; facies militis denuo rubore ccepit, & hic rubor tamdiu augebatur, donec cor & arteriæ extremas

vires

vires exercebant (§. 363. & 364.). Irritatione autem deinceps adhuc magis aucta arteriarum quidem & cordis pulsatio incrementum amplius admittere non poterat; arteriae vero minimae, quo diutius, eo validius se contrahebant (§. 365.). Vires haec contrahentes cum viribus minimarum ac paulo majorum venarum se conjungebant; quo factum est, ut actio cordis & motus pulsans arteriarum resistentiam hanc vincere non possent. Nunc igitur arteriae venaeque minimae sese coarctabant; miles iterum expallescere cœpit (§. 365.): & sic aderat gradus irritations (§. 473.).

§. 475.

Si haec irritation (§. 473.) adhuc magis intenditur, minimaeque arteriae venulæque majores magis magisque constringuntur: necesse est, rem tandem eo pervenire, ut motus sanguinis resistentiae huic superandæ impar evadat. Tum vero, animi deliquium aut mors necessario subsequi debet (§. 348. & 349.). Hunc irritationis gradum I. vocabo.

§. 476.

§. 476.

Talem irritationis gradum (§. 473.) ob oculos habemus, si miles funiculis verberatus, & repetitis ictibus sensim pallidior tactus animi deliquium patitur, aut tandem præ dolore exspirat (§. 365 & 369.). Exempla hujus rei etiam in tortura crebro occurunt.

§. 477.

Ad maximas venas arteriasque quod attinet, has non aliter se coarctare atque occludere constat, nisi spiritibus bonis acidis tangantur, aut urantur (§. 297.). Hic irritationis gradus alias forte nunquam occurrit, nisi cum chirurgi ejusmodi remediis ad sistendum sanguinem utantur. Quod his temporibus, remediis longe tutioribus detectis, fere cessavit. Summus hic irritationum gradus K. appellabitur.

§. 478.

Hactenus fere nihil aliud, nisi irritabilitatem aut mobilitatem partium, quarum ope

ope sanguinis circulatio efficitur, consideravi, certosque hic irritationis gradus determinare conatus sum. Nunc etiam, quid hi irritationis gradus aliis partibus applicati possint, explorare studeamus.

§. 479.

Ut irratio motum intestinorum vermicularem, motumque ventriculi peristalticum adaugeat, opus est, ut paulo sit fortior ea, quae ad motum cordis augendum requiritur. Ista igitur irritatio est major D. (§. 467.), ideoque E. sit, oportet (§ 468.).

§. 480.

Intestinorum irritabilitati secundum dispositionem hic factam succedit musculorum, motibus voluntariis destinatorum, mobilitas, modo praeter motum tremulum fibrarum nihil desideres (§. 188.). Huic fini obtinendo irritatio F., aut ad summum paulo auctior debitum sub conditionibus (§. 470. & seq.) sufficit.

§. 481.

Vesica urinaria & intestinum rectum, sufficienti irritamento adhibito, se contrahunt, & tum vesica urinam, excrementa intestinum rectum exprimit. Qualis autem ad producendam hanc contractiōnem irritationis gradus requiritur? Antequam ad hanc quæstionem respondere tuto possimus, videndum est, num partes hæ, vesica & intestinum rectum, repletæ sint, aut vacuæ; an magnam aut parvam urinæ aut excrementorum copiam contineant. Si modice tantum repletæ sunt, irritatio E (§. 468.) e cerebro per totum corpus expansa jam eo illas adigere potest, ut sese contrahant; cum e contrario, si vacuæ sunt, irritationem F (§. 475.) perferant, quin talis effectus oriatur. Tantum hic ad rem facit, vacuæ sint, an repletæ (§. 217.).

§. 482.

Ita quoque se res habet cum ventriculo, si cibis refertus est, irritatio medicris,

cris, quæ alias tantum motum ejus peristalticum augere valet, vomitum procreat; & si vacuus est: aliquando ne irritatio quidem F (§. 475.) talem effectum excitare potest (§. 220. seq.).

§. 483.

Malificus quidam, in tormenta datus, initio statim urinam & excrementa misit, & ventriculi etiam contenta evomuit. Partibus his ita evacuatis, ejusmodi effectus non amplius apparuere, licet auctis tormentis dolor & irritatio nervorum cerebro infectorum adhuc augeretur. Unicum hoc exemplum illustrandis duobus prioribus paragraphis sufficiat.

§. 484.

Ceterum casus, in quibus irritatio sufficiens per corpus expansa, debitissimis conditionibus, urinam & excrementa exprimit, adeo frequentes sunt, ut saepe hominem de plebe, ira commotum, dicere audiamus: Hunc ego tam male mulcabo, ut commingere se & con-

cacare cogatur ! Frustra autem innume-
ris ad hunc effectum producendum ver-
beribus aliquem afficies, si vesica & in-
testinum rectum nihil contineant (§. 481
— 483.).

§. 485.

Si quis ad mortem vapulat aut tor-
quetur: aliquando animi deliquia, ut su-
pra diximus (§. 470. seq.), aliquando
etiam convulsiones oriuntur. Peterius
quoque adeo notum est, ut nonnunquam
in vita communi audias: Tot verberibus
illum onerabo, ut morbo caduco corri-
piatur. Attamen prius sane non minus
frequenter in tortura & fustigatione illa
militum anglicorum, quæ funiculis fit,
eccurrit. Cum autem pro diversa cor-
porum indole convulsiones aut animi de-
liquia irritationem vehementem sequan-
tur: hic tantum monere volui, ad talem
effectum producendum in corporibus sa-
nis gradum irritationis litera I. (§. 475.)
notatum requiri.

§ 486.

§. 486.

Ut tubuli pulmonum aërei irritationē
et cerebro per totum corpus propagata
contrahantur & occludantur: idem ille,
quem præcedente paragrapho indicavi,
aut forte paulo validior irritationis gra-
dns requiri videtur. Dolore enim suffo-
cationem fuisse productam, non facile in-
venitur.

§. 487.

Nunc Sectioni huic de mobilitate aut
irritabilitate diversarum corporis partium
sinem imponam. Quod autem supra mo-
nui, nunc repeto: scilicet, in hac disser-
tatione me tantummodo ad sanitatis statum
respexisse, partiumque irritabilitatem in
morbis tot tantisque mutationibus esse ob-
noxiam, quam sensibilitatem earum; & sic
ordinem naturalem irritabilitatis partium
vario modo turbari (§. 264. & seq.). Si
alius ventriculo instructus est summopere
irritabili, ideoque minimam ob causam
vomere consuevit; aliis musculos habet

mobi-

mobilissimos, ac proinde facilius, quam alii, convulsiones patitur; alias denique vasis sanguiferis admodum irritabilibus præditus est, ideoque facile animo deficit: hi omnes perfecta sanitate non fruuntur, sed plus minusve ab ea recedunt. Unde insigniter errat, quicunque hujusmodi exemplis doctrinam hic traditam labefactari existimat.

§. 488.

Ceterum, catalogum hic propositum de irritabilitate & mobilitate partium omnibus numeris absolutum non esse, probe intelligo, ac lubentissime fateor. Verum hujusmodi catalogus aliquando initium sumere debebat, quem sane longe perfectiorem reddere potuissem, nisi tempus, quod ad hunc laborem impendi, quodammodo furari debuisse. Gratissimum mihi foret, si alii defectum hunc corrigere, & quod negligenter aut parum accurate dictum est corrigere, errores denique, qui præter voluntatem meam irrepserunt, benigne ignoscere atque emen-

emendare velint. Id eos enixe rogo, quia tum adhuc majorem utilitatem hæc doctrina præstabit. Quantum interea vel sic e manco hoc catalogo utilitatis redundet, per totum librum apparebit. Cujus rei ut statim aliqua exempla proponam, docebo, quomodo in dijudicandis phænomenis, quæ varios animi effectus sequuntur, hunc catalogum applicare queamus. Digressionem paulo longiorem id esse, negare nequeo; at insignis hinc emersura utilitas facile mihi veniam a lectori benevolo impetrabit.

ad idem, p. 321. 322. 323.

XXXII.

ad idem, p. 321. 322. 323.

autem sibi fido est et iam enarratio est
 sed illud certius est, easdem rationib.
 tamen magis erit quod dico etiam si
 ex hoc manifesteb^t se omnes nos sapienter
 et certe possimus sibi nisi ratione. *Quoniam*
 tamen cum capiamus sibi leviter, auctor
 manifestum ex auctoritate suorum iniciorum
 etiam in augm^t 300. manifestum est illis
 omnibus (enim) sicut ab *magistris*.



Sectio XXXV.

De causis phænomenorum in diversis animi affectibus sese exferentium.

§. 489.

Cogitationes, ideæ, imaginationes, cum lætitia aut mœrore conjunctæ, animi affectus vocantur. Tales sunt odium, invidia, ira, metus, terror, gaudium, amor, tristitia, pudor &c.

§. 490.

Experientia autem teste post diuturnas meditationes, & graviores animi affectus in interiore capitis parte ingrata oritur sensatio, quæ non raro ad dolorem usque exaltatur. Quoties in vita quotidiana homines, qui vel diu multaque cum intentione animi super aliqua re meditati sunt, aut ira exarserunt, aut magna molestia affecti fuerunt, dicere audimus: Sentio hoc

hoc in capite meo, cerebrum mihi gravatur, vertiginem sentio &c; quoties ejusmodi sensationes ad dolorem usque augentur!

§. 491.

Si digitus meus sensationem mihi excitat aut dolorem, intelligo, causam hujus sensationis aut doloris in dito latere (§. 8.). Si ergo post graves atque continuos animi affectus sensationem molestam aut dolorem in intimo capite sentimus, simili modo partes dolorem vel sensations producentes alte in capite existere, ibique irritationem excitari, intelligimus. Utroque casu sensus internus locum irritationis indicat.

§. 492.

Ergo in meditationibus diuturnis, gravibusque animi affectibus cerebrum nervique in eo inserti irritantur (§. 490. 491.).

§. 493.

Quilibet effectus causæ suæ debet esse proportionatus. Cum autem meditatio-

nes profundæ ac diuturnæ cerebrum nervosque hinc ortos tantopere irritent, ut non raro dolor nascatur (§. 490.): sequitur, cerebrum nervosque ei innatos in omnibus cogitationibus, ideis & imaginationibus irritari, & quidem eo fortius atque vehementius, quo cogitationes, ideæ & imaginationes validiores sunt & diuturniores; contra vero quo sunt breviores & debiliores, irritationem quoque eo minorem produci (§. 492.).

§. 494.

Igitur in affectibus animi paulatim incrementibus necesse est, varias corporis humani partes irritabiles eo ordine moveri, quo diversi mobilitatis aut irritabilitatis gradus sibi invicem succedunt. Nam perinde est, an pars sensibilis immediate, aut nervus ad eam tendens, sive in medio, sive in ultima nervi origine, in ipso, inquam, cerebro, irritetur (§. 242. seq.).

§. 495.

Si ergo

- 1.) Homo cogitationibus aut animi affectibus occupatur, qui tantam in animo ejus impressionem non faciunt, ut gradum irritationis A. (§. 460.) producere valeant: neque sensationes neque motus oriuntur. Nam irritationem nec sensatio nec motus sequitur, nisi vim habeat sufficientem (§. 157. No. 1. & §. 160. No. 1.).
- 2.) Si vero cogitationes, ideæ & affectus aliquanto fortiores sunt, ita quidem, ut irritationem E in cerebro excitare possint; sphincteres vasculorum cutis, transpirationem insensibilem ducentium, contrahuntur, & transpiratio cohibetur (§. 460. & 461.).
- 3.) Si hoc modo nervi cerebro inserti paulo fortius usque ad gradum B. irritantur; sphincteres vasculorum cutaneorum arctius se constringunt, venæque minimæ simul coarctantur; non tamen ita valide, ut rubras sanguinis partes exprimere queant (§. 462.).

4.) Si irritatio adhuc magis usque ad C augetur: vasa lymphatica maxima coarctantur. Hac irritatione simul venæ minimæ fortius, & quidem tam fortiter constringuntur atque coarctantur, ut rubros sanguinis globulos expellant (§. 463.).

5.) Si cogitationes & affectus animi cerebrum adhuc magis stimulant, & hæc irritatio gradum D. assequitur: motus cordis augetur (§. 467.).

6.) Si irritatio nervorum cerebro inhærentium vim, literis E. & F. significatam consequitur: vires cordis & arteriarum motrices, quo diutius, eo validius augentur. His viribus venæ minimæ contractæ rursus dilatantur, circulatio sanguinis fit vividior (§. 468.), & musculi motibus voluntariis destinati motum tremulum concipiunt (§. 480.).

7.) Si nervorum in cerebro irritatio adhuc magis increscit, & ad gradum, quem G. vocavimus (§. 472.), pervenit:

nit: arteriæ minimæ tanta vi se se co-
arctare incipiunt , ut vires motrices
cordis arteriarum adeo intendantur, ut
fere continuo in statu contractionis
maneant (§. 472.). Si tum irritatio ad
H. usque promovetur (§. 473.), vires
dilatantes, a sanguine , motu pulsante
cordis & arteriarum agitato, depen-
dentes a viribus arteriarum venarum-
que minimarum contrahentibus adhuc
fortius debellantur (§. 473.). Tunc
rubicundi sanguinis globuli ex arteriis
venisque minimis exprimuntur , vultus
pallore obducitur (§. 474.), cor ve-
hementer palpitar (§. 366.), musculi
motibus voluntariis dicati graviter con-
tremiscunt (§. 480.); & si vesica , in-
testinum rectum & ventriculus repleti
sunt, urina & excrements extorquen-
tur, ac subinde etiam vomitus procrea-
tur (§. 481. 482.).

8.) Si animi affectus adhuc vehementior
est, nervique eo irritationis gradu,
quem I. vocavimus (§. 475.), afficiun-
tur:

tur: irritatio ad minimas arterias propagata tantam hic contractionem generat, ut vires sanguinem moventes hoc impedimentum jam non amplius amovere possint; unde vel animi deliquia vel mors insequitur (§. 475.), prout homo vel ad hanc vel ad illa proclivior est (§. 485.).

§. 496.

Veniam gratiamque postulo, quod ea, quæ jam supra (§. 458. seq.) dicta sunt de ordine, quo irritabilitatis partium gradus sibi invicem succedunt, hic breviter repetiverim. Hoc enim factum est, partim, ut lectoribus phænomena illa, quæ in eodem gradu irritationis occurrunt, & in priori Sectione separatim tradita erant, simul ob oculos ponerem; partim, quia res ipsa tanti est momenti, ut iterum legi mereatur.

§. 497.

Nunc proprius ad terminum propositi mei accedo, & ad illa me convertam phæno-

nomena, quæ in diversis animi affectibus apparent. In quibus, si rem paulo atten-
tius consideremus, pro varietate affectuum,
insignem quoque differentiam reperiemus.
Tranquillitas & hilaritas animi colorem
vultus floridum, purpureum albo mixtum,
& summopere jucundum reddunt. Tristitia
vero & ægritudo mentis faciem co-
lore pallido, subflavo tingunt. Tristitia
ob felicitatem alterius invidia vocatur,
quam, velut proverbio, pallidam invidiam
nominare solemus. Adeo notum ac per-
vulgatum est, hoc affectum vultum co-
lore tetro obduci. Cur illud animi pa-
thema faciem rubentem, hoc vero palli-
dam efficit? Si ad hoc responderis, id
inde fieri, quod alter affectus sanguinem
in exigua genarum vascula sanguifera
propellit; alter contra coarctationem ibi
producit: veritatem quidem dixisti, sed
qua non facile quis acquiescere possit.
Quæstio enim eum in finem facta est,
ut, qua ratione alter affectus sanguinem
in vascula faciei propellat, alter vero mini-
mis

mis venis coarctationem inducat, doceatur. Pudor faciem rubore suffundit, quod eo magis in oculos cadit, quo cutis est tenerior & candidior, ut in puellis. Quomodo autem affectus sanguinem in extremas cutis venulas sanguinem subito propellit, faciemque erubescere facit? Homines, ira deflagrantes, si comprimere eam conantur, pallere; si vero liberum huic affectui cursum concedunt, summpere erubescere solent. Oblocutricem illam Gellerti nostri gallo pavi instar rubore vidimus. Si tum ira hominis adhuc magis augctur: rubedo faciei evanescere, pallor reverti, & membra omnia contremiscere solent. Qui fit, ut hic affectus num ruborem, num pallorem excitet; & quænam est causa, cur sanguinem modo in faciem propellat, modo coarctationem in minimis venis producat? Terror pallorem faciei, palpitationem cordis, membrorum tremorem gignit, imo urinam & alvum movet. Milites in proelium ducti hoc saepe testantur. Affectus

ani-

animi, etiam oppositi, ut laetitia & terror, si sunt vehementes, convulsiones, animi deliquia, apoplexias, mortemque repentinam procreare possunt. Qua ratione hoc efficiunt? Orationem hic finire cogor, ne nimis longus fiam, & lectoris patientia abuti videar. Præterea scopum ab initio mihi propositum attigisse arbitror, si pauca, quæ hic de motuum animi effectibus enarravi, observationibus confirmavero, eorumque causas indicavero.

§. 498.

Transpirationem insensibilem in homine curis vacuo, mentique hilari fruente, egregie procedere, Sanctorius affirmat. Hæc affirmatio nititur infallibilitate libræ. Non minus certum est, ex hac animi conditione colorem sanum vividumque oriri (§. 497.). Quænam hujus rei causa est? Nervi cerebro inserti nunquam profecto minus stimulantur, quam si mens est tranquilla, hilaris, nec curis aut affectibus agitata. Talis est hominis conditio,

ria, qui nullo corporis morbo laborat,
 qui mente fruitur quieta & serena. In
 hoc statu est homo, si talis est, qualem
 natura eum esse voluit. Hæc est con-
 ditio infantis secum ludentis. Exsultat,
 saltat, currit hinc inde præ gaudio, sine
 ulla manifesta causa ; nihil fere, ut ita
 dicam, cogitat ; continuo ab alio ad aliud
 objectum volitat. Anima ejus mersa est
 tranquillitate & lætitia. Licet enim nervi
 ejus cerebro innati variis cogitationibus,
 & sensationibus, ope visus, auditus, ol-
 factus, tactus & gustus exortis, leviter
 irritentur (§. 492.): tamen hæc irritatio
 tanta non est, ut partem aliquam corporis
 commovere queat, ne sphincteribus qui-
 dem vasculorum cutis, quorum summa
 est irritabilitas (§. 460.), exceptis. Huic
 infanti similis est adolescens sibi permissus,
 qui nulla victus, vestitus, aliarumque
 necessitatum cura distractus, in diem vivit.
 Re sic constituta cutis vascula perspiratio-
 nem insensibilem vehentia non minus,
 ac venæ minimæ genarum, per quas san-
 guis

guis transparet, in justo dilatationis statu constanter permanent. Quo sit, ut non tantum transpiratio insensibilis, ceteræque secretiones recte procedant, sed etiam vultus colore sano vividoque resplendeat, & circulatio sanguinis optime succedat. Utinam homines totum vitæ cursum in beato hoc statu transfigere possint, in quo vel ipsa senectus miseriarum expers suavitate juventuti non cederet.

§. 499.

Sanctorius, Keil & de Goster experimentis nixi affirmant, homines, dum dormiunt, etiamsi hoc tempore pulsus sit lentior, majorem, quam dum vigilant, recrementorum copiam per transpirationem occultam e corpore eliminare. Igitur de rei veritate non est, quod dubitemus. Sed qua ex causa hoc ita fiat, docendum. Nulla mentis cogitatio hominis tranquille dormientis nervos, cerebro inhærentes, stimulat (§. 492.); hinc nulla quoque irritatio e cerebro ad alias partes defertur (§. 330.); sphincter

igitur vasculorum cutis præ ceteris maxi-
me irritabiles (§. 498.), non sunt con-
stricti; vascula omnia sunt aperta; & sic
non modo secretio materiæ perspirationis
insensibilis, sed aliquæ pariter secretiones
rite absolvuntur, sanguinisque circulatio
quam facillime peragitur (§. 498.)

§. 500.

Præcedente paragrapho veram illius
phænomeni causam indicatam esse, inde
apparet, quod Sanctorius, Keil & de
Goster experimentis hunc in finem in-
stitutis confirmant, materiam perspiratio-
nis occultæ minore copia excerni, si som-
nus est inquietus, & præsertim si varia
eaque terribilia oriuntur insomnia. Hæc
autem quid sunt aliud, nisi confusæ ple-
rumque & inconditæ cogitationes, qui-
bus nervi cerebrō infixi irritantur (§. 493.)?
Si vero irritatio hæc augetur: sphincte-
res vasculorum cutis ob summam irrita-
bilitatem, primo constringi atque, co-
arctari debent (§. 495. No. 2.); quo
facto necesse est, transpirationem insen-
sibilem cohiberi.

S. 501.

§. 501.

Nunc igitur non modo clarum & manifestum est, cur tranquillitas animi perspirationem occultam incolument tueatur (§. 498.); sed etiam, cur tristitia, cur sollicitudines &c eam impedian. Quo facto necesse est, ut sphincteres vasculorum cutaneorum, quæ perspirationis occultæ materiam e corpore expellunt, contrahantur, & sic excretio impediatur (§. 495. No. 2.).

§. 502.

Materia morbi contagiosi ab homine infecto in sanguinem hominis sani translata, vel ope organorum excernentium a sanguine separatur, & e corpore evanhitur; vel in receptacula, humori, cuius corruptio materiam contagiosam genuit, recipiendo destinata secernitur. Hoc casu materia contagionem propagare potest, non illo, ut Parte I. de Variolis §. 24. demonstravimus. Hinc patet, cur animus hilaris & fortis contagium avertere;

tristi-

tristitia autem & metus illud promovere possint. Si enim homo animo est bono & tranquillo, vascula cutis sunt aperta, secretiones omnes recte peraguntur, humores corrupti egregie a sanguine separantur & e corpore evacuantur (§. 498.); contra si tristitia & metus coarctationem in vasculis cutaneis procreavit, materiae contagiosæ una cum transpiratione occulta in corpore retinentur (§. 501.).

§. 503.

Nunc quoque facile intelligitur, cur medici tempore pestis aliorumque morborum contagiosorum modicum vini usum tantopere commendent, eique virtutem ejusmodi morbos avertendi efficacissimam, innumeris ab servationibus confirmatam tribuant. Vinum enim non modo putrefactioni resistit, sed etiam exhilarat, ideoque (§. 498.) transpirationem insensibilem adjuvat. Quo fit, ut sanguis a particulis noxiis liberetur. Jam Salomon dixit: Vinum cor hominis delectat.

§. 504.

§. 504.

Similiter nunc causa divinari potest, cur illi, qui apud homines morbo contagioso decumbentes vigilant, vigilant, inquam, non dormiunt, præ ceteris facilis inficiantur (§. 499. & 502.).

§. 505.

Nunc etiam clarum est, cur medici his temporibus in majore contagionis periculo versentur, si somno suo detrahunt, aut nocturno tempore ægrotos invisunt. Interdiu, dum multa cogitant & meditantur, perspiratio eorum justo parcior est (§. 493. & 498.); quæ si etiam noctu impeditur: duplex causa adest, cur miasma contagiosum corpori eorum facile inhærere possit (§. 504.).

§. 506.

Patet denique, consilium D. Wagleri, animos infantium variolis affectorum organis musicis, aliisve oblationibus recreari suadentis, non posse non insignem præbere utilitatem (§. 498.).

§. 507.

Hæc interim de animi affectibus cerebrum vi A. (§. 460.) irritantibus, sufficiant. Nunc igitur alium casum, ubi cerebrum paulo fortius irritabatur, enarrare aggredior; ac primo quidem historiæ initium referam, quam deinde per partes absolvam.

§. 508.

Doris, puella venustissima decem & septem annos nata, teneritate & candore cutis, florentibus genis Matri Cupidinum non cedens, rure educata, verecunda & intacta, aliquando ex ore Sylvani verba quædam amatoria audiebat. Quorum sensum cum quidem non intelligeret, tamen quo tenderent, conjectura satis assequeretur, statim rubor in genas transiit, qui per totam faciem diffusus tandem circa collum paulatim evanuit. In candida adeo ac tenera cute pudoris effectus egregie observari poterant. Ideo Doridem, ut mihi exempli loco sit, præ aliis eligere decrevi.

§. 509.

§. 509.

Quomodo autem pudor ruborem illum, qui se usque ad candidum collum extendebat, procreare potuit? Rubor sine dubbio inde venit, quod sanguis subito multa vascula, quae lympham continebant, rubros vero globulos accipere non poterant, intravit. Hæc res tam manifesta est, ut neminem oculis suis tantummodo intentem effugere possit. Nec est, quem lateat, cum vulgo de homine erubescente dici soleat: sanguis ei in faciem ascendit. Sed qua ratione pudor sanguinem in vascula lymphatica propellit? Nervi cerebri a leni hoc affectu commoti, non fortius quam gradu B. (§. 462.) irritabantur. Igitur irritatio e cerebro propagata in minimis quidem venulis aliquam diametri imminutionem efficere poterat, minime tamen huic effectui in maximis vasis lymphaticis gignendo sufficiebat. Quo factum est, ut hæc aperta manerent. Licet autem exigua ista venularum minimarum contractio rubros sanguinis globulos

bulos exprimere non posset, ideoque sanguis adhuc transpareret; tamen majorem adfluenti sanguini resistentiam opponebat. Unde secundum leges hydraulicas vasa lymphatica maxima non contracta, necessario intrare debebat. Tum vero necesse erat, ruborem faciei vividiorem statim oriri, quia rubri sanguinis globuli per plura vascula simul translucebant. Ergo clarum & perspicuum est, qua ratione pudor sanguinem in extrema faciei vascula propellat, hominemque erubescere faciat.

§. 510.

Hujus phænomeni eadem ratio est in puerो mendacii convicto, cuius faciem pudor rubore suffundit (§. 509.). Amor quoque nonnunquam gradum hunc irritationis ruboremque faciei producit. *Puella erubescendo felicem ei exitum prænuntiabat*, in Idyllio quodam me legisse memini. Etiam terror eundem effectum creare potest, quod paucis ab hinc diebus in puella, cuius manibus tassa thearia excide-

cidebat, observavi. Verbo, hanc ruboris suffusionem in quolibet animi pathemate juvenum ac puellarum, quorum cutis est tenera & mollis, si irritatio vim B. habet, contemplari licet (§. 462.); exceptis Francogallorum puellis, quarum genae suco obductæ ingenuam mentis innocentiam prodere non possunt.

§. 511.

Si post inoculationem materia variolarum paulatim augetur, ac sensim majore copia sanguini admiscetur, ideoque magis magisque nervos irritat: necesse est, ut certo tempore gradus irritationis B. (§. 462.) producatur. Causa igitur, cur secundum observationes practicorum paucis post inoculationem diebus color faciei vividior oriri soleat, luce meridiana clarius appetat (§. 509.).

§. 512.

Nunc gradu hoc irritationis reliquo ad alium fortiorem exemplo illustrandum progredior. Adamus vir florentis æta-

tis, optima gaudens valetudine domum suam & cum hac omnes facultates suas incendio amiserat. Ex hoc tempore nulla misero requies, perpetua tristitia consumto. Evanescit color vividus faciei, genæque prius imaginem sanitatis referentes colore flavo fœdantur. Post quinque menses in hoc tristi statu peractos tandem consulit medicum. Adhibitis sine ullo effectu remediis, subito hereditatem non mediocrem accipit; nunc statim mœrore liberatur, redit consueta mentis serenitas, & color pristinus faciei brevi restitutus est.

§. 513.

Qua de causa hic factum est, ut alter affectus colorem vultus sanum, alter vero morbosum genuerit? Antequam rem omnem incendio perdiderat, homo hic jucunda fruebatur tranquillitate, nullis curis turbata. In felici hoc statu permanxit, donec ignis facultates ejus consumeret, ideoque ad hoc tempus florentem faciei colorem servabat (§. 498.). At simulac

cru-

crudelem illum fortunæ casum expertus
 est, continuo doloris & tristitiae affectu,
 qui pudore vehementior est, torqueba-
 tur, nervique cerebro inserti vi C. irri-
 tabantur (§. 460.). Irritatione hac ner-
 vorum ope per totum corpus propagata
 non modo sphincteres vasculorum cutis,
 verum etiam venæ minimæ, & vasa
 lymphatica maxima coarctabantur (§. 363.
 seq.). Quia nunc irritatio fortior erat,
 quam in pudore, non solum venæ mi-
 nimæ, sed etiam vasa maxima lymphati-
 ca tam fortiter se constringebant, ut ru-
 bros sanguinis globulos non amplius re-
 cipere possent. Hinc perspiratio occulta
 impediabatur, venæque minima & vasa
 lymphatica maxima nonnisi lympham san-
 guinis subflavam intromittebant. Quo
 factum est, ut color sanus ac vividus fa-
 ciei evanesceret, & in ejus locum, lym-
 pha subflava per vascula translucente, co-
 lor morbosus succederet. Accepta vero
 præter opinionem hæreditate, irritatio
 cerebri una cum mærore, curis & anxie-
 tate

tate cessabat; hinc necesse erat, ut minimarum venarum & vasorum lymphaticorum maximorum contractio tolleretur, & Adamus noster felicem illam, qua ante incendium gaudebat, animi conditionem recuperaret.

§. 514.

Ex his facile intelligi potest, quantum mentis tranquillitas ad curationem morborum, & præsertim eorum, in quibus materia peccans per transpirationem cutis occultam evacuari debet, contribuat, & quomodo mentis ægritudo, tristitia & curæ curationem prægravare possint. Non defunt exempla, ubi propter evacuacionem materiæ peccantis his affectibus interruptam morbus tolli non potuit. Adamo nullus profecto medicus nulla medicina opem ferre valuisset. Inopinata hæreditas sola medebatur. Medicos ejusmodi formulas præscribere non posse, magnopere est dolendum.

§. 515.

§. 515.

Virum quendam nobilem summopere dilexi, cuius in vultu cum aliquando insignem in deterius mutationem animadvertissem, puerum percunctatus sum, num forte ægrotaret herus. Tum ille: herus meus bene valet, inquit, & præterita nocte bene dormivit. Hoc mane vero aliquid bilem ei movit, quod statim e specie ejus externa judicari potest. Jam satis sciebam. Sed qua ratione ex hoc animi affectu color faciei morbosus oriri potuit? Quia hic nervi cerebro inferti eadem vi, ac priori casu in homine, cui ignis domum combusserat (§. 512.), ideoque usque ad gradum C. (§. 463.) irritabantur. Reliqua e duobus præcedentibus paragraphis satis luculenter apparent.

§. 516.

Postquam non solum de effectibus tranquillitatis & hilaritatis animi, sed etiam mæroris & tædii, quantum ad proposi-
tum

tum meum facit , exosui : nunc quoque lætitiae effectus consideremus. Exempla proponenda sic eligentur , ut affectus primo lenis sit , deinde paulatim augeatur , tandem summum vehementiæ gradum attingat. Sic manifesto patebit , omnia ex eo oriri phænomena , quæ ante irritationi sensim incrementi tribuimus , & series , qua varii gradus irritabilitatis sibi invicem succedere debent , requirit.

§. 517.

Puella novem annorum , patrem suum a nundinis lipsiensibus vesperi reducere , multasque crepundias adportaturum esse , audierat. Parvulum cor ejus præ gaudio exultabat , & facies jucunda tingebatur rubidine. Quomodo hoc fiebat ? Commotio animi subito exorta reliquis , de quibus hucusque sermo fuit , longe fortior atque vividior erat , & propterea gradus irritationis E & F repente excitatbat (§. 468. & 470.). Quibus e sensorio communi propagatis , cor & arteriæ tam fortiter irritabantur , ut vires earum

earum motrices exiguae venas dilatare, rubroque sanguine implere possent (§. 468.). Hinc rubedo vultus & pulsus mutatio (§. 495. No. 6.). Gaudii vehementia paulo post imminuta, effectus quoque non diu durabant. Verum cum vesperi pater adveniebat, & puella res lusorias, quæ pulchritudine omnem expectationem ejus superabant, accipiebat; statim multo magis, quam antea, gaudere coepit. Pallor faciei, trepidatio membrorum & palpitatio cordis lætitiam hanc immoderatam sequebantur.

§. 518.

Quomodo hoc fiebat? Priori casu nervi cerebro inserti irritabantur vi E. & F. (§. 517.), ideoque gaudio vehementiore exorto, vi G. & H. Ratio autem, cur hi irritationis gradus pallorem faciei, tremorem artuum & cordis palpitationem procreaverint, supra (§. 495. No. 7.) sufficienter declarata est.

§. 519.

§. 519.

Gaudium longe vehementius, & commotio animi multo fortior excitabatur in fœmina quadam, allato nuntio, filium unicum, quem mortuum crediderat, & iam per sex menses summo cum sanitatis suæ detrimento defleverat, non tantum superstitem esse, sed vitam insuper maxime felicem agere. Epistola simul allata, cuius authorem ex inscriptione cognoscit, nullum de veritate narrationis dubium relinquit. Dum epistolam effringere parat, superveniente animi deliquio impeditur.

§. 520.

Unde hoc veniebat? Cum puella crepundias a nundinis adportatas cerneret (§. 517.), irritatio e cerebro per corpus propagata vi G. & H. (§. 518.) agebat, infœmina igitur gradus I. obtinuit (§. 475.). Si vero irritatio vim I. habet: necesse est, ut animi deliquia, spasmi aut convulsiones oriantur, prout homines pro diversa

diversa corporum indole vel huic vel illi symptomati magis obnonxii sunt (§. 485.). Qua ratione igitur gaudium vehemens præsenti casu deliquium animi producere potuerit, luculenter appareret.

§. 521.

Quod autem lætitia ingens, irritationi I. (§. 475.) gignendæ idonea, in iis corporibus, quæ convulsionibus magis, quam animi deliquiis sunt obnoxia, convulsiones pariat, tot exemplis memoriæ proditis confirmatum est, ut testimonio meo non egeat. Attamen a me impetrare non possum, quin unum tantummodo casum, quem propriis oculis observavi, hic referam. Judæus quidam avarus, universas fere facultates suas periisse non dubitans, accepto præter spem nuntio, qui omnia salva esse nuntiaret, statim convulsionibus correptus est.

§. 522.

Ad hunc & priorem casum adhuc notandum est, lætitiam subito exortam pri-

mos

mos irritationis gradus momento citius transiliisse, unoque saltu gradum litera I. designatum (§. 485.) attigisse. Quo factum est, ut statim convulsiones & animi deliquia nascerentur, omnesque effectus, qui leniore cerebri irritatione procreari solent, locum non haberent.

§. 523.

Nonne vero lætitiae effectus hic enarrati tranquillitatis & hilaritatis effectibus antea (§. 498.) traditis oppositi esse videntur? Ibi enim dixi, nervos cerebro insertos in homine mente hilari & tranquilla gaudente omnium minime irritari; hic vero ejusmodi gaudii effectus narrati sunt, e quibus, cerebrum vehementissime affectum fuisse, evidenter apparent. Quomodo hæc inter se conveniunt? Optime. Mens enim hilaris & tranquilla non est animi parthema. Accedamus ad puerum illum, qui secum ludens, huc illuc lætus cursitat, &, quæ causa sit lætitiae, percontemur. His fere verbis respondebit: **Talis sum, qualem me vides,**

at,

at, quæ causa sit ignoro. Puer hic, si fas est ita loqui, nihil cogitat, & nervi ejus nulla vehementiori idea irritantur. Quomodo vero se res habet cum illo animi affectu, quem Gaudium vocamus? Idea fortior felicitatis, aut fortunati cujusdam eventus, diu expectati hominem sui compotem esse non patitur, in nervis cerebri irritationem excitat, & quidem eo graviorem, quo vehementior est affectus (§. 492. & 493.).

§. 524.

Nunc relicta lætitia, ad metum & terrorem me convertam. Ideam imminentis infortunii Metum, repentinum vero talis ideæ ortum Terrorem nominamus. Num metus & terror sensim increscentes eadem, quæ lætitia, phænomena procreare poterunt? Omnino. Exempla hæc pariter docebunt sic eligenda, ut cerebrum initio leniter, gliscente vero irritatione violentissime stimuletur.

§. 525.

Adolescens quidam re ipsa satis sanus ac robustus, sed a matre, cœco amore ducta, corruptus, præter alia innumera, cura sanitatis immoderata & continuo morborum metu inde a pueritia imbutus, plerumque phænomena, ex impedita perspiratione cutis orta, experiri solebat. Unde hoc quæso? Anxietas, nimiam sanitatis curam concomitans, lenis erat affectus, qui cerebrum non fortius, quam A (§. 460.) irritabat, unde præter contractionem sphincterum, vascula cutis claudentium & retentionem transpiracionis occultæ aliis effectus excitari non poterat (§. 495. No. 2.).

§. 526.

Non raro autem accidit, ut vividior morbi, quem metuebat, imago animo ejus obversaretur. Tum statim faciem habebat pallidam & morbosam. Cujus rei cum multa exempla adferre possem, unum tantummodo narrabo. Aliquando domi

domi mente hilari vultuque sereno me invisebat. Post aliquod tempus jucundo sermone transactum abiit. Paulo ante prandium revertitur præter consuetudinem pallidus, &, ut pulsus sibi tentarem, togat. Revera pulsus concitatum deprehendi. Pallor hic faciei & pulsus concitatus inde veniebant, quod aliquis ei metum incusserat, nuntiando, variolas, quas summopere horrebat, in vicinia grassari, duosque jam infantes, hoc morbo correptos, diem obiisse supremam.

§. 527.

Qua ratione id factum est? Hæc animi commotio priore multo erat vehementior. Si ergo prior irritationem A. (§. 460.) in cerebro generat; necesse erat, posteriore gradum irritationis B. & C. produci, quorum vi subtilissimi venarum fines contrahuntur, rubrique sanguinis globuli exprimuntur (§. 462. & seq.).

§. 528.

Subinde autem evenit, ut ideæ lugubres

bres & metus morbi adolescentem nostrum adhuc violentius agitarent. Tum statim facies ejus mirum in modum rubere, pulsusque celerior fieri cœpit. Cum aliquando hoc faciei rubore deceptus dixisse: Quantum e specie tua externa colligere licet, bona jam valetudine frui videris, respondit: „Cave, ne genarum rubedo te fallat. Tum enim minime valeo, cum propter fallacem hunc ruborem omnes me felicem prædicant. Nunc sanguis mihi versus caput & faciem fertur, cor vehementius palpitat, verbo, omnia, mihi morbum imminere, testantur.“

§. 529.

Quomodo hoc evenit? Si casu præcedenti irritatio usque ad C. increverat, nunc gradus D. & E. (§. 467. & seq.) adesse oportebat; qui gradus quidem ad colorem & pulsum febrilem excitandum non sufficiunt, vires tamen cordis & arteriarum motrices in tantum augere possunt, ut venulæ minimæ rursus a forti

con-

contractione liberentur, & simul cum vasis maximis lymphaticis rubicundo sanguine impleantur (§. 495. No. 5. & 6.).

§. 530.

Quoties adolescens noster adeundo hominum venustiorum cœtus (quod per raro fiebat), ambulando, equitando, aut (quod efficacissimum erat) peregrinando tristes cogitationes suas depelleret, optime se habebat. Nec mirum, cum morbus ejus nonnisi in imaginatione & animi commotionibus consisteret.

§. 531.

Quid faciat hic adolescens? Num medicaminibus ad recuperandam sanitatem utatur, aut peregrinationes instituat? Peregrinator. Quantum adcurandos hujusmodi morbos peregrinatio valeat, sequens historia declarabit. Homo quidam dives morbo imaginario laborans medicum quotidie adibat, &, ut medicinas sibi præscriberet, rogavit. Cum id facere nunquam desisteret, sed nova semper reme-

dia postularet, medicus, rei pertæsus,
 nonnunquam, quoties eum venire vide-
 rat, se intus non esse, renuntiari jussit.
Tandem hominem dolo curare decrevit.
 Itaque cum hic aliquando apud eum con-
 quereretur, quod, cum indies innume-
 ram ægrotantium multitudinem sanitati
 restitueret, se nondum morbo liberave-
 rit, &, quando id tandem facere vellet,
 rogaret: medicus, veritatem tibi, inquit,
 fatear; non raro accidit, ut hic vel ille
 contra hunc illumve morbum reimedium
 quoddam specificum norit, & quamvis
 morbum tuum ipse debellare non possum,
 tamen medicum quendam novi, qui sex
 pulveris arcani dosibus, singula singulis
 diebus sumenda, haud dubie te sanabit.
Medicus hic Madriti habitat. Madriti?
 inquit, agedum, o bone, manda ei, ut
 sex illius pulveris doses huc mitti jubeat.
Ne respice pretium. Quantumcunque
 demum sit, lubens persolvam. Tum ille,
 medicamen hoc, ait, ultra viginti quatuor
 horas conservari non potest, ideoque ne-
 cessè

cesser est, ut ipse Madritum proficiscaris. Paratus sum facere, quod jubes, inquit Sempronius, & summa cum laetitia iter aggredior; sed quomodo vocatur medicus? Ille, dabo tibi, inquit, litteras ad eum, ac statim pulpito assidens scribit, obsignatasque homini tradit. Tum medicamenta, quibus in itinere uteretur, petenti, persuaderet, his eum facile carere posse, imo curam Madriti instituendam requirere, ut per tres integras hebdomadas ab omni alio medicamine abstineat. Cum hoc modo inter se convenissent, eodem vesperi cuncta ad iter necessaria parantur. Nox longa videtur morae impatienti. Primo diluculo consensa vereda proficicitur. In itinere praeter opinionem suam optime se habet, quia objectorum continua varietate, quominus imaginationibus suis indulgeret, impediabatur. Etiam si toto tempore nulla sumferat medicamina; tamen feliciter Madritum pervenit, & apud legatum quendam, affinitate secum conjunctum,

divertitur, medicumque, cui epistola inscripta erat, sciscitatur. At hic, licet maxime quæreretur, nusquam inveniri potest. Omnis exploratio vana est. Nemo hominem cognoscit. Quid jam faciat Sempronius? Ad revertendum jam paratus litteras effringit, in quibus non nisi pauca hæc verba legit: Revertere & sanabere! Cutam, quam eo profiscens inscius inchoaverat, revertens absolvit. Partim iter, partim indignatio, se hoc modo deceptum esse, aliis cogitationibus locum non relinquebat. Medicamentis, sine quibus vitam sibi vitalem non esse crediderat, jam omnino desuetus erat. Domi redux servatorem invisit, &c, quomodo nunc se haberet, percontanti, respondet: Optime; at si Madriti tui copiam habuisset, medius fidius! male tecum actum fuisset; nunc autem tibi fraudem ignosco. Medicus, vides igitur, inquit, virum bonum nonnunquam ea redigi posse, ut ad dolum confugere debat. Nunquam profecto sine hac fraude sanitatem recuperasses. §. 532.

§. 532.

Nonne profunda adeo ac continuo tristitia tandem lethales effectus habere possit? Affectus hic perspirationem occultam turbat (§. 501.), eamque, somnum abigendo (§. 500.), adhuc magis impedit. Retenta autem transpirationis materia fœcunda morborum mater fieri potest. Quorum ne singulos enumerando tempus consumam, satis erit, unum tantummodo commemorare, quem Desiderium patriæ vocare solent. Hic innumeris Helveticis exitio fuit, nec subinde aliter debellari potest, nisi æger patriæ reddatur. Quo facto morbus statim evanescit, quia jam non amplius molestis cogitationibus æger torquetur. Profecto commotiones animi tales effectus excitare, quis crederet, nisi quotidiana experientia id doceret?

§. 533.

Etiamsi verum sit, ejusmodi ægrotos, de quibus duobus præcedentibus paragraphis

phis sermo fuit, medicamentis non indigere: hoc tamen ad eos, qui Hypochondria vera laborant, extendi nequit. Hi enim revera materiam morbi in corpore gerunt, quæ æque certo tristitiam gignit, ac scabies pruritum; & sicuti scabiosus scalpendo sibi temperare nequit: ita & illi tristes cogitationes evitare non possunt. His medicamina sunt applicanda, quorum ope, si morbi causa sublata est, ideis tristibus non amplius cruciantur, nec angores antea intolerabiles conqueruntur. Multa profecto hac occasione dicere possem! Sed silentio ea præterire cogor, quia jam ab initio nihil nisi effectus commotionum animi in corporibus ceterum sanis exponere decrevi.

§. 534.

In exemplis (§. 525. — 530.) narratis, metum, spectantibus, cerebrum non nisi gradibus D. & E. (§. 467.) irritatum erat. An vero irritatio e metu orta graviores effectus exferere non potest? Dubium non est, quin possit. En experientiam

tiam huc facientem. Aliquando prælio decertandum erat. Multi, qui audaciam suam antea insolenter jactare consueverant, nunc æquo animo imminentes hostium catervas adspicere non potuerunt. Metus vel fortissimis pallorem incutit. Cor omnibus vehementer palpitat, alii plus, alii minus trepidant. Plures terrore adeo perculsi erant, ut non multum abeasset, quin feminalia polluerent. Alii contra alia ratione metus vehementiam prodiderunt.

§. 535.

Qua ratione autem metus ejusmodi effectus producere potuit? Priori exemplo (§. 528.) metus vi D. & E., hoc igitur casu vi F. G & H. cerebrum irritabat. Hæc differentia irritationum inde orta est, quod metus apud omnes æqualis non erat. Reliqua e Paragrapho 495, No. 7. satis clara sunt. Si enim nervi cerebro inserti vi G. & H. irritantur: irritatio per totum corpus propagata arterias minimas coarctat; & dum hæ vi-

res suas cum minimarum venarum viribus conjungunt, utræque adeo contrahuntur, ut rubros sanguinis globulos exprimere valeant. Hinc pallor militum. Irritatio ad cor delata palpitationem induxit, quæ sanguine ob ingentem resistantiam in cor reagente adhuc magis augebatur. Irritatio ad musculos, voluntatis imperio obtemperantes, deducta tremorem artuum peperit. Irritatio denique ad vesicam & intestinum rectum propagata, repletis his partibus, contractionem produxit; vacuis vero, talem effectum procreare non potuit (§. 495. No. 7.). Quo factum est, ut illis excrementa alvi & urina exprimentur; his vero talis turpitudo non continget.

§. 536.

Sed terror & metus nonne adhuc gravorem irritationem, illam nempe, quam I. vocavimus (§. 475.), quæ convulsiones & animi deliquia inducit, excitare valent? Scilicet hos quoque effectus iis familiares esse, sequentia exempla ostendent.

§. 537.

§. 537.

R... pridie sancti Nicolai homines
mantatis vestibus circumeuntes, secundum
detestandam illam consuetudinem parvu-
los preces recitare cogebant. Multi pa-
rentes eo stultitiae progressi sunt, ut li-
beros suos ab ejusmodi sancto Nicolaio
terreri, utile judicent; iisque postea, si
dictis parere nolint, se Nicolaum accer-
furos, minari soleant. Puerο cuidam sep-
tensi, superstitionis his nugis imbuto,
aliquando nebulo, sanctum Nicolaum si-
mulans, apparuit, tantoque eum terrore
perculit, ut omnibus membris contre-
misceret, precesque recitare jussus praε-
metu ne verbum quidem balbutire po-
cuit. S. Nicolaus virga, quam manu ge-
rebat, plagam ei infixit, quæ terrorem
pueri tantopere augebat, ut statim humi-
concidens malo caduco corriperetur.

§. 538.

Matrona quædam nobilis litteras ad
maritum suum conscriptas accepit. Qui-
bus

bus resignatis cum vix aliquot lineas legisset, exclamat: bone Deus! pater meus decessit! His dictis confessim animo linguitur, & nisi prope eam adstitissem, e sede sua haud dubie delapsa fuisset.

§. 539.

Videmus jam affectus lætitiae non minus, quam terroris & metus, a minori gradu ad summum usque intensos, eadem phænomena, quæ dolor & quælibet alia per corpus propagata, sensimque crescens irritatio, producere deberet. Sed quid de ira sentiendum? Num eandem vim habere possit? Natura hoc iterum docebit.

§. 540.

Historiam supra (§. 508. & 509.) de Doride pudore rubente narrari cœptum, & consulto abruptam, nunc continuabo. Silvanus verba illa petulantia, quæ Doridem rubore suffundebant, præsente patruo ejus, jactabat. Hic offensus insolentia juvenis indignationem adhuc continet; sed genas pallor subflavus tingit.

§.

§. 541.

Indignatio hæc repressa cerebrum non-nisi vi C. (§. 495. No. 4.) irritare potuit. Unde cor quidem ad motum vehementiorem exercendum non cogebatur; venæ vero minimæ adeo coarctabantur, ut rubrum sanguinem exprimerent, & nihil nisi serum flavum (§. 495. No. 4.), quo per vascula translucente color pallidus, subflavus generatur, recipere possent. Causa igitur, cur vultus patrui, iram comprimentis, hunc colorem referebat, manifesto appareret.

§. 542.

Silvanus indignationem patrui non animadvertis, aut non curans, sermones obscenos proferre non desinebat. Quo factum est, ut ille, qui iram suam hactenus continuerat, nunc in minas & convicia erumperet. Vox alta fiebat, oculi minabant, & facies rubore suffundebatur. Eadem animi commotio, quæ prius omnem sanguinem e genis expulerat, nunc

nunc quasi purpura eas infecit. Hinc manifesto apparuit, eam non esse iræ proprietatem, ut necessario aut pallorem aut ruborem inducat, sed utrumque effectum successive ab ea excitari.

§. 543.

Patruo iram effundente, affectus majorum gradum attigerat, & cerebrum jam non, ut antea, vi C. sed D. & E. irritabatur. Quæ gravior irritatio cordis & arteriarum motum tantopere auxit, ut venæ minimæ, restituto priore diametro, sanguinem rubrum denuo admittere co- gerentur (§. 495. No. 5. & 6.). Causa igitur, cur levior ira pallorem, gravior vero ruborem generit, in oculos cadit.

§. 544.

Patruo iram effundente Doris vehementer territa colorem mutabat, rubrique, a pudicitia inducto, nunc pallor succedebat.

§. 545.

Causa erat, quod nunc cerebrum vi C. irri-

irritabatur, eadem scilicet vi, qua patrui, iram compesceris, genæ exsangues reddebantur (§. 495. No. 4.).

§. 546.

Homini naturam attente contemplari solito puella hæc pudore rubens (§. 495. No. 2.) patruus vero ira retenta pallidus (No. 4.); tum patruus ira rubens, puella vero terrore pallida spectaculum plane singulare offerebant.

§. 547.

Quicunque ex haec tenus allatis (540. & seq.) varios cerebri diversimode irritati effectus probe intellexerit, e Paragraphis præcedentibus necessitatem horum phænomenorum facile perspiciet, nec opus est, ut his diutius immorando tempus consumam.

§. 548.

Liberiores & petulantes Silvani expressiones nunc conviciis & objurgationibus patrui excipiebantur, ad quas adolescentiam immodeste respondebat, ut
ira

ira patrui pene in furorem verteretur. Ira hæc vehementior statim colorem ejus mutabat, cor fortiter pulsabat, omnesque artus ejus tremebant. Tum Silvano os-
tium ostendens domo exagitabat, ac, ne unquam eo revertatur, monebat. Jam Doris adhuc vehementius perterrebatur, Mortuum pallore æquat. Cor ejus, eadem qua & Avunculi, vehementia palpitat omnibusque artibus contremiscit.
Abit Sylvanus.

§. 549.

Nunc terror & metus in puella, in patruo vero ira talem vehementiæ gra-
dum attigerat, ut cerebrum vi H. irrita-
retur. Hinc patet ex præcedentibus, cur
ambo pallore, terrore & violenta cordis
palpitatione afficiebantur (§. 494. No. 7.).

§. 550.

Silvamus ædibus exagitatus patruum fu-
xore pallidum, & ad fores usque sequen-
tem gravissimis conviciis oneravit. Do-
ris adhuc magis perterrita, in sellam se-

con-

conjicit tremens, animique deliquium patitur. Reversus in conclave patruus Epilepsia, quam præcedente anno pariter expertus erat, corripitur.

Cum animi affectus tempore, quo Silvanus abiit, gradum H. consecuti essent, nunc vero adhuc augerentur, necesse erat, ut cerebrum vi I. irritaretur. E prioribus autem adeo manifesta est ratio, cur hoc casu animi deliquia & Epilepsiae orbantur, ut operæ pretium non foret, in ea explicanda tempus consumere (§. 495. No. 7. §. 520. 537. & 538.).

§. 551.

Ad dicet aliquis, Doridem animi deliquio, patruum vero epilepsia ideo affectum fuisse, quod terroris ea sit conditio, ut animi deliquia, non convulsiones gignat; contra iracundia epilepsiam, non animi deliquia producat. Qui sic sentiunt, toto cœlo aberrant. Nonne enim supra vidimus, puerum a Pseudonicolao territum malo caduco præ terrore cor-

reptum concidisse (§. 537.)? Novi mulieres, qui statim animo linquuntur, simulac tædio paulo graviori affectæ fuerint. Naturam igitur percontati, cunctos animi affectus, lætitiam, terrorem, iram, si satis vehementes sunt, & sensorium commune vi. irritant, pro diversa eorum indole (§. 485.) nunc convulsiones, nunc leipothymiam procreare posse audiemus.

§. 552.

Verum non modo certum est, a vehementissimis animi affectibus deliquia & epilepsiam induci, sed etiam dubitari nequit, quin apoplexiæ ansam præbere possint. Hoc quivis facile intelliget, qui cunque consideraverit, arterias minimas in gravissimis animi affectibus sic coarctari, ut rubri sanguinis globuli exprimantur, irritationemque ad cor propagatam initio semper palpitationem cordis violentiore generare (§. 495. No. 7.). Nonne his sub circumstantiis in vasis majoribus tanta sanguinis copia necessario colligi debet,

quæ

quæ auëta cordis majorumque arteriarum
vi motrice, venam majorem facile disrum-
pere potest? Si hoc in cerebro contin-
git, apoplexia generatur, si vero in alia
corporis parte interna, hæmorrhagiæ
periculose, imo lethales, oriri possunt.

§. 553.

Cel. Leibnitzii cognata lætitiam, ex in-
genti hæreditate captam, morte luit. An
animi deliquio lethali (§. 495 No. 8.),
aut apoplexia (§. 552.) trucidata fuerit,
decidere non ausim.

§. 554.

Igitur homines sanguine abundantes in
vehementibus animi commotionibus pe-
riculo apoplexiæ magis sunt expositi,
quam alii minus sanguinosi (§. 552.); qui
vero anevrismata in vasis cerebri gerunt,
in præsentissimo apoplexiæ periculo ver-
santur.

§. 555.

Jam quoque luculenter appetet, qua
ratione plethora vasorum majorum, a

gravioribus animi commotionibus orta,
facile anevrismata & tumores venarum
procreare possit. Hic loci de epilepsia
quadam hanc ob causam insanabili oppor-
tune differere, multaque notatu digna af-
ferre possem, nisi temporis angustia ne-
gotiorumque multitudo id prohiberet.

§. 556.

Notandum est, me in explicatione
phænomenorum, in diversis animi com-
motionibus sese exserentium, hoc tantum
spectasse, ut, qua ratione varia nervo-
rum cerebro innatorum irritatione gig-
nantur, ostenderem. Etiam si vero per-
suasum habeam, multum veri in hac ex-
positione contineri, tamen monere adhuc
volui, in declarandis plurimorum animi
affectuum phænomenis non solum respi-
ciendum esse ad vim, qua nervi cerebro
inserti afficiuntur, verum etiam, quinam
ii sint nervi, qui ab illis præcipue irri-
tantur. Unum hujusce generis exemplum,
quod, spero, ceteris dijudicandis viam
sternet, adducam.

§. 557.

§. 557.

Notum est, vel solam rei cuiusdam
nauseosæ ideam vomitum procreare. Ser-
mone de ejusmodi rebus forte inter cœ-
nandum exorto, non raro e convivis ali-
quem audimus dicentem: Tace, Sodes,
alioquin exire & vomitare cogor. Si
tum neglectis his precibus pergitur, sæpe
statim revera hominem vomere videmus.
Qui fieri potest, ut verba aut sola rei
nauseosæ idea motum ad vomendum ne-
cessarium gignat? Primo, quā ratione
emeticum, deinde quomodo res nauseosa
gustu percepta vomitum creet, osten-
dam; tandemque ad resolutionem quæstio-
nis propositæ transibo; his enim præ-
missis sequentia facilius intelligentur.

§. 558.

Cajo inscio præbebantur in juscule
grana duo pulveris vomifici, quem, quia
e Tartari emetici granis duobus consiste-
bat, gustu percipere non poterat. Paulo
post de nausea querebatur, quæ paulatim

aucta tandem in vomitum abiit. Quomodo hic nausea & vomitus oriebantur? Pulvis emeticus ventriculum, aut potius nervos ventriculi irritabat (§. 71. & 72.): motus irritatione in his nervis excitatus, atque ad cerebrum delatus, mutationem ibi produxit, nauseæque sensum genuit (§. 7.). Emeticum quo diutius, eo fortius nervos ventriculi afficiebat, & sic mutatio illa, quæ nausea sensum conscientiamque in cerebro procreavit, necessario sensim majus incrementum capere debebat, donec tandem nervi ventriculi tam fortiter irritabantur, ut ope variorum muscularum vomitus revera sequeretur.

§. 559.

Paucis post diebus Cajo in cœna ostrea putrida apponebatur, quam simul ac ori linguæque admovit, statim expuit. Nihilominus subito nausea & paulo post vomitus sequebatur. Unde hic vomitus? Quænam est connexio inter contractionem ventriculi & apicem linguæ?

Non

Non raro sit, ut, rei cujusdam denominationem technicam probe tenentes, rem ipsam a nobis intelligi existimemus. Quod mihi quoque in juventute accidit, ubi hanc quæstionem termino *Consensus* resolvi. At nunc vereor, ne, hoc responso parum contenti, lectores, quam significationem huic voci subjiciam, aut qua ratione consensus vomitum producat, scire desiderent. Ad evitandas tot ambages quæstionem ipsam statim resolvere tentabo.

§. 560.

Ostrea putrida in linguam Caji agens, motum & mutationem in linguae nervis efficiebat (§. 71. & 72.), qui motus operis nervorum ad cerebrum propagatus mutationem ad generandam sensationem illam specialem, quæ nausea vocatur, necessariam, produxit (§. 7.), eandem, inquam, sensationem, quæ, cum ventriculi nervi ab emetico irritati motum suum cerebro communicarent (§. 558.), oriebatur. Cum jam utroque casu, & priori quidem pulvis

pulvis vomificus ventriculum, posteriori
vero ostrea putrescens linguam afficeret,
eadem sensatio, nausea scilicet, crearetur,
necessa erat, ut utroque casu eadem plane
mutatio in cerebro existeret. Igitur, sen-
satione ostreæ putrescentis exorta, iidem
cerebri nervi movebantur, vellicabantur
& irritabantur, qui, emetico in nervos
ventriculi agente, indeque ad cerebrum
propagata irritationem, affecti fuerunt.
Jam vero ad motum fibris muscularibus
inducendum perinde est, an ipsæ fibræ
immediate irritentur, aut nervus ramu-
los ad eas mittens prope fibras muscula-
res, in medio, aut in ipso cerebro irri-
retur (§. 242.). Cum igitur irritatio a
lingua ad cerebrum usque propagata,
nervos, ramulos ad ventriculum mitten-
tes, stimularet, necessa erat, fibras ven-
triculi contrahi, vomitumque produci,
eodem plane modo, quo antea, emetico
interne dato, iidem nervi in ventriculo
(§. 558.) irritabantur. Hinc manifesto
patet, cur irritatio a lingua ad sensorium

com-

commune propagata, nauseamque producens, æque vomitum concitaverit, ac pulvis vomificus ventriculum immediate irritans.

§. 561.

Cum Caius ille brevi post apud amicum cœnaret, & sermo de rebus fœdis ac nauseosis incideret, statim nausea ei exorta est, quæ, turpi hoc sermone paulo diutius continuato, revera vomitum genuit. Jam denuo, qua ratione id factum sit, & quomodo verba contractionem ventriculo procreare potuerint, videamus. Verba ideas genuere; ideas, inquam, nauseæ producendæ aptas. Hæc sensatio nauseæ ex ejusmodi ideis orta, nihil prorsus a sensatione illa differebat, quæ, cum emeticum irritationem ad cerebrum a ventriculo, aut ostrea putrida a lingua propagaret (§. 558. & 560.). excitata fuit. In tribus his casibus eadem plane mutatio in cerebro oriebatur; quo factum est, ut ex ideis hisce, modo satis vividæ erant, vomitus æque necessario

pro-

produceretur, ac utroque casu præcedenti. Hoc quilibet facile intelligere debet, qui adhuc probe meminerit, perinde esse, quo loco nervus irritetur, sive id prope cerebrum, sive in medio, sive in extrema musculi parte fiat (§. 242.); nec oblitus fuerit, in cunctis ideis cerebri nervos irritari, & quidem eo fortius, quo vivaciores atque vehementiores ideæ (§. 493.).


§. 562.

Etiamsi adhuc multa non exigui momenti hic exponere possem, tamen huic sectioni finem imponere malo, præsertim cum jam justo longiorem digressionem fecisse videar. Fortasse totam hanc Dissertationem omittere consultius fuisset, cum omnibus eam numeris absolutam non esse, satis superque sentiam. Verum, cum semel conscripta sit, prelo subjiciatur, partim, quia dubitari nequit, quin commotiones animi in morbos, horumque curationem majorem, quam vulgo creditur, vim exerceant, partim, quia non

non temere sperare possum, fore, ut
unus alterve, tentamine hoc excitatus,
ædificium, cuius fundamenta multo cum
labore posita sunt, ad finem perducere
suscipiat.

18. 1. 3. *missus* *sister* *steer* *non
dare* *to* *son* *superior* *avocato* *rever
endissimum* *opus* *Levi* *etius* *matribus
et* *48194* *missus* *be* *regis* *missus*
ex *18195*

• 37



I N D E X.

Abbreviatio Vasorum sanguiferorum reflectorum unde oriatur §. 279.

Acrimonia. Quomodo acrimonia externe applicata vasorum minimorum agilitas determinari possit, vide Agilitas.

Cur acrimoniae motum sanguinis augent §. 294.

Quomodo in intestinum rectum & vesicam urinariam agant §. 218.

Effectus rerum acrium in vasis sanguiferis reflectis §. 282.

Actio. Ad certum usque gradum auget dolorem parit & quidem eo vehementiorem, quo validior est §. 84-88.

Actio in partes sensibiles in omnibus quidem partibus vim sufficientem, in diversis vero diversam habere debet ad producendam sensationem §. 59.

Actio violenta sensationes auget §. 82-84.

Actionis effectus in partibus sensibilitate praeditis, vide Sensatio.

Effectus actionis lenis diu continuatæ in partibus sanis §. 353.

Aer. Cordibus inspiratus motum eorum assilidet obiv auget,

- auget, sive exsecta sint sive non
§. 168.
- Affectus animi.** Lætitiae phænomena vide
Lætitia.
- Metus**, vide Metus.
- Iracundiæ**, vide Ira.
- Phænomena quæ in variis animi affec-
tibus se exserunt 497.
- Quonam ordine variæ corporis huma-
ni partes irritabiles affectu sensim
crescente moveantur §. 495. — 496.
- An omnes animi affectus deliquia &
convulsiones pariant §. 551.
- An apoplexiā generare possint §. 552.
- Quinam affectus animi transpirationem
occultam impediant §. 501.
- Quid sint §. 489.
- Quinam homines in magnis animi af-
fectibus apoplexiæ periculo præ aliis
obnoxii sint §. 554.
- Curationem morborum impediunt
§. 514.
- Vehementes animi affectus & diuturna
meditatio cerebrum afficiunt §. 490. 494.
- Qua ratione phænomena quorundam
animi affectum explicari possint §. 556.
- Agilidas**, **Mobilitas**, & **irritabilitas** idem
significant. vide **Mobilitas**. **Agili-**

Agilitas. Vasorum sanguiferorum majorum §. 304.

Minorum §. 305. - 307. & 309. - 322.

Tubulorum pulmonum vide Tubuli.

Partium, quæ rimam glottidis consti-
tuunt, vide Glottis.

Ductus renalis §. 3000-301.

Partium varia §. 262.

Varia partium in statu sano certo or-
dini subjecta est §. 263.

Partis sensibilitati ejus proportionalis
est. vide Sensibilitas.

Diversa partium, an a varia earum
sensibilitate dependeat. §. 270.

Vasculorum sanguiferorum minimorum
an ope rerum acrum explorari &
determinari possit. §. 308-310.

Cur vocabulum Agilitas aptissimum
sit ad facultatem fibrarum muscularium
ex irritatione motum suscipien-
di designandam. §. 259. Aliæ vo-
cabula a medicis hunc in finem ad-
hiberi solita. §. 256.

Qua ratione portium agilitas in morbis
augeri & imminui possit. §. 265-267.

Apoplexia. An animi affectus vehemen-
tes apoplexiā procreare possint,
vide Affectus animi.

Quinam homines in magnis animi affectionibus apoplexia præ ceteris facilius afficiantur, vide Affectus animi.

Aqua. In corda ranarum & intestina canum injecta aqua tepida, motum eorum auget, præsertim si parum salis in ea solutum fuerit §. 168-169, & 177-178.

Aqua tepida arteriis muscularum femoris injecta spasmos excitat, qui graviores fiunt, si salis particulas contineat, vide Musculus femoralis.

Arteriæ. In corpore vivo sufficienter irritatæ motum pulsantem augent §. 293.

An structura arteriarum a venarum structura diversa sit §. 291.

An systole & diastole arteriarum sine corde adhuc locum habere possint. §. 286-287.

Quando arteriæ sese abbrevient aut coarctent. §. 276.

Cur resectione arteriæ sanguis sistatur. §. 313-318.

Cur arteriæ non tam facile coarctentur quam venæ, vide Venæ.

Causæ pulsus arteriarum §. 288-290. & 292.

Quid ad augendum arteriarum pulsum requiratur. §. 345. Quo-

Quomodo a venis differant. §. 284.

Auditus. Innumeras sensationes parit
§. 29. gratas & molestas §. 36.

Canis. Cur spina dorsi fracta pedibus
posterioribus paralyticus fiat §. 237.

Cantharides. Eorum effectus, si interne
adhibentur. §. 389.

Effectus emplastri cantharidum externe
applicati §. 385. & 389.

Vascula perspirationis insensibilis mate-
riam ducentia emplastro cantharidum
destruuntur §. 388 – 389.

Cur vesica aqua referta in cute oria-
tur §. 390.

Qua ratione post applicationem em-
plastri cantharidum epidermis à cute
recedat §. 386 – 387.

Conscientia ubi excitetur §. 5 & 77.

Contagio. Cur medici facilius infician-
tur, si somno suo detrahunt, & no-
turno tempore aegrotos invisunt. §.
505.

Cur homines, qui apud aegrotos mor-
bo contagioso laborantes vigilant,
tam facile inficiantur §. 504.

Convulsiones. Moriens e convolutionibus
dolorem non sentit §. 17.

Quomodo a materia febrili convulsio-
nes

nes producantur. vid. Febrilis materia.

Cor. Exsectum non sentit §. 15.

Ad motum cordis accelerandum eadem irritatio requiritur, quæ ad augendum arteriarum pulsū necessaria est §. 345.

Cor minore agilitate præditum est, quam venæ minimæ. vide Venæ.

Cor fibris vi vitali præditis constat. §. 137.

An corda canum & ranarum exsecta & irritata sese adhuc moveant. vide Irritatio.

Cynanche quid sit. §. 544.

Cur varia febrium genera comitari possit. §. 546-547.

Dolor. Certos terminos habet. §. 88.

Dolor motus a fibris muscularibus pendentes sæpius minuit ; nonnunquam vero convulsiones parit. §. 203.

Ductus renalis ejus agilitas. vide Agilitas.

Emeticum qua ratione nauseam & vomitum signat. §. 558.

Excrementa. Nimis diu retenta tandem præter voluntatem dejicere cogimur. §. 215.

Etiam si urgeant, per aliquod tempus cohiberi possunt. §. 214. Ex-

Exhilaratio. Utilitas exhilarationis infantum in variolis. §. 506.

Fames. Non est sensus particularis. §. 26.

Febricitantes. Cur membra febricitant. §. 193, 194. & 196.

Febrilis materia quando motus febriles pariat. §. 340.

Cur frigus & calorem excitet. 343.

Quale organum excretorium sæpe maximum partem febrilis materiæ excretat. §. 446.

Acrimonia materiæ febrilis convulsiones procreare potest. §. 195.

Cur aliquando materiæ febriles acres pulmonum tubulos aëreos facilius coarctent, quam minimas arterias §. 457.

Cur motum cordis accelerent. §. 170.

Febris. Cur in febribus, præsertim malignis, medici tam diligenter ad statum respirationis attendant. §. 448.

Fibræ. Certa fibrarum species in animalibus viribus vitalibus instructa est. §. 133.

An fibræ longitudinales venarum & arteriarum vim habeant elasticam & vitalem. §. 380-384.

Fibræ arteriarum longitudinales & orbiculares. §. 275.

Fibræ musculares vivæ & mortuæ §. 138.

Cur fibræ musculares immediate irritatæ tam intra, quam extra corpus vivum moveri possint. §. 246.

Effectus irritationis in fibris spontaneis. §. 226.

Effectus irritationis generales in fibris mixtis. §. 198. & 227.

Cur fibræ musculares vesicæ urinariæ voluntariis adnumerentur. vide *Vesica urinaria.*

Fibræ musculares voluntariæ ope nervorum moventur. §. 229 - 240.

Fibræ musculares voluntariæ quomodo differant a spontaneis. §. 181.

Fibræ orbiculares. Quanta vi agere debeant ad coarctandas venas. §. 323.

Fibra nervosa. Quomodo differat a musculari. §. 141.

Funera. Quid sentiendum de visionibus hominum illorum, qui funera futura præsagiunt. §. 127.

Qui fiat, ut eorum prædictionibus aliquando eventus respondeat. §. 130.

Funiculorum supplicium (to stripe.) Phænomena

nomena in milite anglo funiculis cæso

§. 358-368.

Quid sit. §. 357.

Effectus. §. 369-370.

Glottis. Sensibilitas & agilitas partium,
quæ rimam glottidis constituunt.

§. 407-408.

An sensibilitas partium Glottidis agili-
tatem earum superet. §. 410-411.

Coarctatio rimæ glottidis respirationem
difficilem aut suffocationem inducit
§. 405.

Quando coarctatio rimæ glottidis suffo-
cationem aut difficilem respirationem
pariat. §. 406-413.

Gustus. Innumeræ sensationes producit.

§. 31. gratas & molestas. §. 38.

Hypochondriaci. Veri an eodem modo
ac imaginarii tractandi sint. §. 533.

Remedia adversus hypochondriam ima-
ginariam. §. 530-531.

Insensibilitas partium, vide Sensibilitas.

Quænam partes natura insensibiles sint.

§. 11-12.

Insomnia. Quid sint. §. 500.

Intestina. Exsecta non sentiunt. §. 15.

Viri,

Viribus vitalibus gaudent. §. 171.

Si sufficienter irritantur, in loco irritato se contrahunt. §. 173.

Iracundia. Ejus effectus. §. 540-551.

Irritabilitas. An hoc vocabulo facultas fibrarum muscularium, ex irritatione modum suscipiendi, apte designari possit. §. 258.

Cur hæc expressio in hoc opere conservata fuerit. §. 261.

Irritabilitas. Mobilitas & agilitas eandem significationem habent, vid. Mobilitas.

Irritabilitas ductuum excretiorum in diversis organis secernentibus §. 394.

Irritabilitas minimarum venularum, vide Venæ.

Irritabilitas minimorum vasorum lymphaticorum, vide Vasa lymphatica.

Irritabilitas sphincterum vasculorum, quæ materiam perspirationis occultæ excernunt. §. 392.

Quomodo venæ minimæ earumque vascula lymphatica respectu irritabilitatis inter se differant. §. 380-384.

Ordo naturalis irritabilitatis variarum corporis humani partium in statu sano, exponitur. §. 458-488.

Irritatio. Motus excitare & delere potest. §. 350.

An gradus irritationis a materiis morbosis in corpore excitatae determinari queat. §. 351.

Irritatio motum pulsantem arteriarum augens quomodo differat ab ea, quæ coarctationem arteriarum gignit. §. 346-347.

Effectus irritationis mechanicæ in vasis sanguiferis majoribus. §. 296.

Quanta irritatione opus sit ad augendum arteriarum motum. §. 295.

Effectus spirituum acidorum in vasis sanguiferis denudatis. §. 297.

Effectus irritationis sensim incrementis in corde & vasis sanguiferis §. 347-348.

Irritatio. Quid sit. §. 147-149.

Irritatio vires fibrarum muscularium viribus vitalibus praeditarum etiam in iis corporibus, quæ metu, anxietate & terrore immunia sunt, auget, & quidem eo magis, quo validior irritatio, donec tandem fibræ extremum motum exerceant. §. 204-228.

Effectus irritationis mechanicæ rerumque acrum in musculo nudato. §. 183-193.

Effect.

- Effectus irritationis sufficientis in tubulis pulmonum agilitate praeditis §. 403.
- An irritatio in partibus sensibilitate destitutis locum habeat. §. 150.
- Effectus irritationis in partibus nuda sensibilitate donatis. §. 157.
- Effectus irritationis in tubulis pulmonum agilibus, & non agilibus. §. 402-503.
- Effectus irritationis in partibus vel in totum vel pro parte tantum fibris muscularibus instructis. §. 158-161.
- Quomodo motus cordis & intestinorum, tam intra quam extra corpus, incisum vi mechanica & rebus acribus immutari possit. §. 162-179.
- Vis irritationis a quo pendeat. §. 151-156.
- An varii irritationis gradus qui in militi virgis cæso locum habent, accutius observari possint, si currenti, quam si alligato verbera infliguntur. §. 353-357.
- Lætitia ab hilaritate mentis quomodo differat. §. 523.
- Effectus lætitiae. §. 517-522.
- Meditatio. Diuturnæ meditationis effectus vide Affectus animi.

- Medulla spinalis.* Compressæ effectus in animalibus. §. 232.
Resistæ in bobus. §. 233. & 237.
- Melancholia.* Periodicæ phænomena §. 126.
- Membra.* Febricitantium cur tremant.
vide Febricitantes.
- Mens.* Hilaritas mentis a lætitia distinguitur, vide Lætitia.
- Transpirationem occultam adjuvat coloris faciei floridum reddit §. 498.
- Metastasis.* Quid sit. §. 445-447.
- Metus.* Quid sit. §. 524.
Metus & terroris effectus. §. 525-539.
- Mictio.* Urinam procul a corpore ejicere, vel non, in nostra potestate est. §. 207.
An diu a mictione abstinere possimus. §. 215.
An inter mingendum urinam reprimere queamus. §. 208.
An prius, quam necessitas urget, urinam mittere possimus. §. 206.
- Quando sensus micturitionis evanescat & revertatur. §. 205.
- Mobilitas.* An vocabulum hoc aptum sit, ad facultatem fibrarum muscularium motus ex irritatione producendi designandam. §. 257. Cur

- Cur hæc vox conservata fuerit.** §. 261.
- Mobilitas.** An a solis nervis pendeat §. 269.
- Mobilitas, irritabilitas, agilitas** synony-
mum sunt. §. 256.
- Cur sphincteres vasculorum cutaneo-
rum quæ perspirationis insensibilis
materiam vehunt, tanta mobilitate
gaudeant.** §. 393.
- Morbi.** Cur homines tranquilli & hilare-
res non tam facile morbis contagio-
sis inficiantur, quam tristes &c. §. 502.
- Motus.** Vermicularis intestinorum major
est, si e corpore exsecta sunt, quam
si cum aperto abdomine adhuc cohæ-
rent. §. 174.
- Ratio hujus phænomeni.** §. 175.
- Motus sensibilis** non pertinet ad defi-
nitionem irritationis. §. 149.
- Divisio motionum generalis in volun-
tarias & mixtas.** §. 145.
- Cur motus sphincteris ani a medicis ad
voluntarios sit relatus, vide Sphincter
ani.**
- Cur missio urinæ & depositio alvi mix-
tis motibus accenseri possit.** §. 216.
- Unde motus sensibiles partium solida-
rum oriantur.** §. 143.

Muscularis fibra. Quid sit. §. 140.

Omnes fibræ musculares voluntariæ irritationem sufficientem ad motum tremulum; majore nō vero ad motum convulsivum excitandum requirunt.

§. 197.

Omnes fibræ musculares, viribus vitalibus instructæ, voluntatis imperio non parentes vi sufficienti irritationæ motus exercent, & quidem eo validiores, quo irritationis est fortior, donec tandem ulterius agere nequeant. §. 180.

Contractio quarundam fibrarum irritatione inducta nonnunquam aliarum actionem imminuit. §. 201.

Motus cuius fibræ fit abbreviatione & restitutio. §. 143 - 144.

An fibræ musculares ventriculi sint voluntariæ. §. 231.

An fibræ sphincteris vesicæ urinariæ sint voluntariæ, vide Sphincter vesicæ.

Musculus. An nervo resecto vires vitales musculi salvæ maneant. §. 235.

Musculus. Cur totus musculus motum exerceat, etiamsi una tantum alterave fibra vi mechanica irritata fuerit §. 199 - 200, & 247.

Musculus femoralis. Effectus irritationis externæ in musculo femorali canis nudato factæ, salvo non minus, quam abscisso capite. §. 183-292.

Mutatio. Quomodo mutatio in parte sensibili orta propagetur, vide Nervi.

Nausea. Nimiam ventriculi repletionem sequitur. §. 220.

Nervi. Mutationem in parte sensibili faciem propagant. §. 74-77.

Nervi compressi aut ligati phænomena. §. 231.

Integri & dissecti vires fibrarum muscularium vitales excitant. §. 242-245.

An actio in nervos denudatos sensacionem pariat. §. 69.

An nervi sint sensibiles. §. 70.

Cur a compressione nervi paralysis partis oriatur. §. 238.

Sensatio subita excitatur, si nervus partem permeans aut ejus rami vi sufficienti irritantur. §. 71-72.

Obstrutio. In vasis sanguiferis majoribus quomodo fiat, vide Vasa sanguifera.

Odoratus. Multas variasque sensationes gignit. §. 30. jucundas & molestas §. 37.

Organz.

Organæ. Quænam partes sic dicantur §. 22.

Ostrea. Sensibilis est, sensationem vero habere nequit. §. 18.

Sapor ostreæ putrefactæ vomitum creat.
§. 559-560.

Partes. Sensibiles & insensibiles, vide *Sensibilitas.*

Plantæ. An sensationes habere possint.
§. 19.

Plethora. Effectus periculosi plethoræ vasorum majorum a vehementibus animi affectibus ortæ. §. 555.

Pudor. Effectus pudoris in puella innocentia. §. 508.

Cur in hoc aliisque animi affectibus sanguis in faciem ascendat. §. 509-510.

Pulmones. Cur in cadaveribus hominum febri maligna defunctorum pulmones aliquando illæsi reperiantur. §. 449.

Pulsus. Quando pulsus sumto medicamine augeatur. §. 225.

Respiratio. Phænomena ejus. §. 395.

An ad respirationem extensibilitas tubularum aëreorum requiratur. §. 396.

Ad quam speciem motionum respiratio pertineat. §. 145. No. 3.

Sal. Cur parum salis elysmati admitti nonnunquam subito alvum moveat.
§. 179.

Sanguis. Quomodo sanguis arteriæ lœsæ cohiberi queat. §. 311-312.

Quomodo sanguis in coalitione cordis moveri possit. §. 290.

Sanguis arteriosus. Motus ejus causæ §. 324.

Sapor. Ostræ putridæ vomitum parit. vide Ostrea.

Sensatio. Proprietates ejus essentiales §. 7-8. differentia. §. 20.

Sine conscientia nulla sensatio §. 3-4.

A sensibilitate quomodo differat. §. 13-20.

Quid sentiendum sit de propositione Krugeri. " Quamlibet sensationem sequitur motus ei proportionalis. , , §. 274.

Quo pacto in statu sano irritatio mechnica in ventriculo sensationem pariat. §. 221.

Quando veram, quando falsam sensationem habeamus. §. 101.

Quid sit. §. 1.

Sensationes. Eadem aliis sunt gratæ aliis molestæ. §. 40-46.

Plurimæ indifferentes, aliæ vero gratæ, aliæ molestæ sunt. §. 34-40.

Aliquæ sensationes vel omnibus hominibus gratæ sunt, vel molestæ. §. 47.

Divisio sensationum in universales & particulares. §. 79.

Producuntur actione in partem sensibilem. §. 49 - 50.

Non oriuntur, nisi actio in partem sensibilem sit sufficiens. §. 51 - 57.

Si actio sufficiens est, impediri non potest, quominus oriantur. §. 57 - 58.

Sensationum numerus infinitus. §. 27 - 33.

Falsæ, quando excitentur. §. 102 - 108.

Qua ratione in singulis quinque sensibus oriantur. §. 109 - 114.

Quomodo sensationes, veræne sint an falsæ, dijudicari queant. §. 115 - 126.

Sensationum quinque genera. §. 21.

Sensibilitas. Partium in statu sano & ceteris paribus eundem ordinem servat §. 94. inutatis vero circumstantiis, aut in morbis sæpe ingentes mutationes patitur. §. 96 - 99.

Partium non est infinita. §. 88.

Partium, quæ rimam glottidis consti-
tuunt. vide **Glottis**.

Quid ad sensibilitatem partis requira-
tur. §. 10.

Aliæ partes majore sensibilitate, aliæ
vero majore mobilitate gaudent §. 272.

An sensibilitas partium agilitati earum
proportionata sit. §. 271 - 273.

An sensibilitas partium glottidis agilita-
tem earum superet aut vice versa.
vide **Glottis**.

A sensatione quomodo differat. vide **Sensatio**.

Quænam partes sensibilitate instructæ sint, quænam vero non. §. 10 - 13.

Cur libellus hic a sensibilitate & irritabilitate partium nomen acceperit. §. 260.

Causa sensibilitatis partium. §. 72.

Sensus. Quid requiratur ad sensum §. 26.

An usu & exercitatione acumen sensuum augeri queat. §. 60.

Sensuum organa. §. 22.

Quid fint. §. 21.

Serpens. Disrupti serpentis frusta aliquamdiu adhuc vivunt. s. 131 - 132.

Situs. Non est sensus particularis. §. 26.

Somnus. Cur transpiratio occulta per somnum largior, quam per vigiliam fiat. vide **Transpiratio**.

Spincter ani. Cur motus ejus a medicis voluntarii dicantur. §. 213 - 214.

Spincter vesicæ. An fibræ ejus musculares voluntati obtemperent. §. 210.

Spiritus vitales. Quid de his sentendum §. 252. - 253.

Quld medici sub spirituum vitalium nomine intelligant §. 134.

Quænam qualitates iis tribuantur §. 250 - 251 & 254.

Stercus. Qua vi illud exprimere queamus §. 212.

Quomodo, respiratione non mutata, sterlus eliminetur §. 213. Sti-

Stimulus Quando stimulus ponendi alvum excretione facta denuo revertatur §. 211.

Cur stimulus mingendi & alvum dejiciendi, excretione facta, evanescat, tum sensim redeat, & tandem urina & excrementa exprimantur §. 217.

Stimulus venereus quinque sensibus accensi nequit §. 26.

Succus nervosus. Quid sit §. 135.

Suffocatio & respirationis difficultas semper a contractione minimarum bronchearum oriatur §. 404.

Cur vapores minerales suffocationem inducant §. 442.

Sulphur. Vaporis sulphuris spiriti hausti effectus §. 426 – 427.

Tactus. Opiniones eorum qui omnes sensus diversos esse tactus affirmant, refutantur §. 24.

Tactus magnam variarum sensationum copiam præbet §. 32. Quarum aliæ sunt jucundæ aliæ molestæ §. 39.

Tædium. Quomodo vultum pallidum reddere possit §. 515.

Terror. Quid sit §. 524.

In fæmina palpitationem cordis gignere & fluxum menstruum cohibere potest §. 330 – 333.

Effectus terroris, vide Metus.

Titillatio. Ejus effectus §. 46.

Transpiratio. Insensibilis & color faciei quomodo se habeant apud eos qui mente sunt hilari & animo tranquillo, vide Animus.

Cur melius procedat dormienti quam vigilanti §. 499 – 500.

Quinam animi effectus eam turbent, vide Affectus.

Trifitia. Ejus effectus §. 512.

Phænomena §. 513.

Tubuli pulmonum. An agilitate gaudent §. 413 – 443.

An mobiles esse debeant, vide Respiratio.

Quinam vi aëris extendi possint §. 397-400.

Quanta sit irritabilitas eorum §. 456.

Utilitas quæ ex doctrina de agilitate tubulorum aëreorum in pathologiam & praxin redundat §. 444 – 450 & 454.

Cur materiæ febriles acres tubulos pulmonum sæpe facilius, quam arterias minimas coarctent, vide febrilis materia.

Quid irritatio in illis tubulis qui agilitate prædicti sunt, & in illis, qui ea carent, efficiat, vide Irritatio.

Vapores aquarum mineralium quales effectus in tubulis aëreis producant §. 428 – 431.

Cujus rei ratio habenda, si explorare velimus, an tubuli pulmonum ex irritatione motum suscipiant §. 417.

Ulceru. Unde humor aquosus in ulcera vetera derivetur, vide Vulnera.

Unguentum mercuriale. Effectus unguenti mercurialis externe infricati. §. 389.

Urinator. Cur urinator sub campana post aliquod tempus difficulter spiritum dueat & tandem suffocetur. §. 450 - 453.

Vapores. An vapores aquarum mineralium, sanguinem in corde & pulmonibus coagulando, mortem inducant. §. 432 - 435.

Aut quia nervos vehementer afficiendo, celeriter apoplexiam pariant. §. 435 - 440.

Aut quia in corde aliisque partibus irritabilitatem delent. §. 440.

Variolæ. Cur paucis post inoculationem diebus color faciei vividus sequatur. §. 511.

Vasa lymphatica. Eorum divisio. §. 372.

Vires fibrarum orbicularium in vasis lymphaticis, & resistentia iis opposita. §. 375 - 376.

Irritabilitas vasorum lymphaticorum sensim decrescentium. §. 477.

Irritabilitas eorum in genere. §. 373 - 391.

Irritabilitas vasorum lymphaticorum, quæ humores suos ab extremis arteriarum finibus accipiunt. §. 378 - 381.

Irritabilitas vasorum lymphaticorum, quæ humores suos venis tradunt. §. 379 - 380.

Quid ad coarctationem vasorum lymphaticorum requiratur. §. 374.

Quomodo vasa lymphatica oriantur. §. 371.

Vasa sanguifera. Quanta vis ad ea coarctanda requiratur, vide Orbiculares fibræ.

An fibræ orbiculares vasorum viribus vitalibus instructæ sint. §. 302 - 303.


Quomodo vasa majora se contrahant. §. 298.


Venæ. An minimæ venæ corde sensibiliores sint. §. 341 - 342.

Quando venæ minimæ contrahantur & accurvatur. §. 278.


- Cur defectione venarum minimarum sanguis sedetur.* §. 313 - 318.
- Cur facilius se contrahant, quam arteriae.* §. 325 - 327.
- Quanta earum sit irritabilitas.* §. 329 - 337.
- Vesica.* Cur fibræ musculares vesicæ ad voluntarias referantur. §. 209.
- Vesica urinaria.* Cur musculi ejus ad voluntarios referantur. §. 209.
- Vinum.* Cur modicum vini poculum tempore pestis aliorumque morborum contagiosorum conducat. §. 503.
- Vires vitales.* Quid sint. §. 133.
- Quomodo explorari possit an fibra viribus vitalibus praedita sit. §. 136.
- Visiones*, vide Funera.
- Visus.* Sensationes ejus infinitæ. §. 28.
- Partim gratæ, partim molestæ. §. 35.
- Vomitus.* Quando in statu sano producatur. §. 223 - 224.
- Quomodo sapore ostreæ putrefactæ generetur. vide Ostrea.
- Quo pacto repræsentatio rerum foedarum vomitum procreare possit. §. 557 - 561.
- Nunia ventriculi repletione excitatur. §. 220.
- Vulnus.* Quomodo humor aquosus in vulnera seponatur. §. 382.

F I N I S.





Essex Institute Library



DEPOSITED BY

THE ESSEX SOUTH DISTRICT
MEDICAL SOCIETY

• • •

Received October 6, 1906

